2 i

P. J. VAN SWINDEREN.

DISQUISITIO

DE

AERE MALACITANO ET SALPENSANO.

DISQUISITIO
DE
AERE MALACITANO
ET
SALPENSANO.

ISQUISITIO

DE

IALACITANO

ET

ALPENSANO.

AUCTORE

VAN SWINDEREN,
Juris Utriusque Doctor.

GRONINGAE,
Apud J. B. HUBER.

PATRI

OPTIMO CARISSIMO.

De

de auth

pensana

D

tinum

nicipii

cipiis

Quaer

p. 13

I

ban

CONSPECTUS.

INTRODUCTIO.

De historia tabularum repertarum. Opinio interpretum de authentia tabularum. De legis tam Malacitanae quam Salpensanae auctore et aetate. De legum natura. p. 1—12.

PARS I.

DE MUNICIPIIS IN JURE ROMANO.

De municipiis antiquissimi generis, scil. ante bellum Latinum confectum. De sententia viri cl. RUBINO „cives municipii non fuisse cives Romanos" me iudice falsa. De municipiis post bellum Latinum. De municipiis post legem Juliam. Quaeritur utrum municipia legibus Romanis regantur necne? p. 13—28.

PARS II.

DE IURE MUNICIPIORUM MALACAE ET SALPENSAE.

De iure urbium usque ad tempus DOMITIANI. Improbanda videtur sententia viri cl. ZUMPT, urbes iure Latino non

PARS III.

DE IURE PUBLICO MUNICIPIORUM SALPENSAE ET MALACAE.

CAPUT I.

DE POPULO.

CAPUT II.

DE ORDINE.

CAPUT III.

DE MAGISTRATIBUS.

De magistratibus ordinariis et extraordinariis. Dignitate differebant magistratus. De iis qui arcentur ab omni magistratu ordinario; ab extraordinario magistratu, a IIviratu, ab aedilitate et quaestura. De cautione praestanda a IIviro et quaestore. De iureiurando in leges quod omnes magistratus praestant. p. 83—97.

§ 1. De IIviris.

De potestate eorum universa. De iurisdictione voluntaria. De tutoris datione. De iurisdictione contentiosa. De multae dictione. De comitiis habendis. De professione, proscriptione et nominatione candidatorum IIvir municipes uno vocatu curiatim vocat ad suffragia ferenda per tabellam. De custodia cistarum et diribitione suffragiorum. De ordine renuntiationis sorte statuto. De norma quae constituta erat ratione habita eorum qui suffragiis pares sunt. De iureiurando ab iis qui maiorem habent partem curiarum praestando. De gemina renuntiatione. De interdicto comitiorum dirimendorum. De potestate senatus habendi. De cooptatione patroni. De lectione Senatus. De arbitrio IIvirorum in locatione vectigalium et in praedibus praediisque accipiendis et vendendis. p. 98—134.

§ 2. De Praefectis.

De variis praefectorum generibus. Quomodo eliguntur? De praefecto Caesaris. De praefecto IIviri. De potestate praefectorum. p. 134—141.

§ 3. De Aedilibus.

De iurisdictione eorum. De multae dictione. Nulla prorsus eorum pars est in pecuniae pnblicae administratione. p. 141—143.

§ 4. De Quaestoribus.

Pecuniam publicam tractant. Referunt in tabulas publicas. Eadem officia incumbebant quaestori urbano Romae. p. 143—145.

§ 5. De Intercessione.

De intercessione paris et maioris magistratus. De appellatione. De tempore intercessioni et de modo appellationi praescripto. p. 145—149.

§ 6. De ratione qua magistratus conveniri possunt honore deposito.

De accusatione magistratuum Romanorum honore deposito. Num Malacae et Salpensae magistratus capite accusari poterant? Num civili quoque lege conveniri poterant? De magistratuum dolo et culpa. p. 149—153.

CAPUT IV.

DE CAUTIONE PRAEDIBUS PRAEDIISQUE.

§ 1. De Natura cautionis praedibus praediisque eiusque historia.

Praedibus praediisque reipublicae cavetur. Exceptio prae-

PARS IV.

DE IURE PRIVATO LATINORUM SALPENSANORUM ET MALACITANORUM.

CAPUT I.

DE JURE PERSONARUM.

§ 1. De iis qui aut liberi sunt aut servi.

§ 2. De iis qui sunt sui vel alieni iuris.

CAPUT II.

DE ACTIONIBUS.

INTRODUCTIO.

Ansam dedit huic dissertationi conscribendae quaestio anno 1863 a Facultate Juridica Academiae Lugduno-Batavae proposita. Fuit haec: „Instituatur disquisitio de aere Malacitano et Salpensano ita ut simul appareat quid conferant ad illustranda quaedam juris Romani instituta." Responsum studiis Academicis confectis tanquam specimen inaugurale edere mihi proposui, neque tamen sine mutatione commentatio illa hoc tempore prodit; imo gravissima scribendi materies ut iterum argumentum elaborarem me movit; unde haec dissertatio quodammodo editio aucta atque emendata responsi dici possit. Jam vero de eodem argumento anno superiore commentationem conscripsit atque edidit Dr. M. VAN LIER (de Aere Salpensano et Malacitano Ultrajecti 1865), neque tamen propterea necesse mihi videbatur ut a proposito meo desisterem; nonnullas enim quaestiones, quae cum proposito argumento arcte cohaerere videntur nonnisi leviter exposuit vir doct. in aliis quoque prorsus ab opinione mea discedit. Quae cum ita sint commentationem meam modeste virorum doctorum examini committo.

Sub finem anni 1851 Malagae, Hispaniae in urbe dun domus diruta restituitur, duae tabulae aeneae repertae sun leges illas continentes de quibus commentationem scriber in animo est. Quinque pedibus sub solum desederant linique quo quondam involutae fuerant etiamtum vestigia aderant, quodque fere nunquam in monumentis talibus evenit, prorsus integrae prodierunt. In majore tabula lex Malacitana quinque columnis scripta continetur; duabus columnis in minore tabula lex Salpensana [1]).

Hodie tabulae Malagae sunt in dominio viri nobilissimi GEORGE LORING [2]). Postquam hae tabulae in Germania innotuerunt complures viri docti, inter quos TH. MOMMSEN non solum tempore verum etiam dignitate ceteris praecellit, argumentum nostrum elaborare coeperunt. Quod vero nulli ex interpretibus qui de hac re ante vel post eum scripserunt, cl. LABOULAYE accidit, ut de universarum inscriptionum fide dubitare coeperit. Eius dubia tamen quamvis nonnunquam magna sagacitate et eruditione proposita nullum ex viris doctis, quantum equidem scio, moverunt ut amplecteretur eam sententiam [3]);

---

[1]) Plura de hac re, de latitudine tabularum magnoque earum pondere tradit E. LABOULAYE in Opere: *Les tables de Bronze de Malaga et de Salpensa* Paris 1856. p. 3. Cf. etiam MOLINIER in commentatione quae inserta est in: „*Recueil de l'Académie de Législation de Toulouse* anno 1856 Tom. 5 p. 66, 67.

[2]) Variae conjecturae propositae sunt de quaestione qui factum sit ut lex Salpensana Malacae reperiri potuerit. Improbabilis mihi non videtur opinio quam cl. MOMMSEN tuetur (in Opere: *Die Stadtrechte der Latinischen Gemeinden Salpensa und Malaga*, Leipzig 1855, p. 389); conjecit enim legem Salpensanam una cum Malacitana ex quo Salpensa excisa esset Malacae viguisse.

[3]) Communem sententiam de authentia tabularum etiam amplexus est WALTER in novissima editione (1860) Operis: *Geschichte des Römischen Rechts*, qua editione quamvis ipse usus non sim, tamen quid de hac causa contineat mihi apparuit ex censura hujus operis quae exstat in Diario Juridico cui titulus: *Revue Historique de Droit Francais et Etranger* 1861, p. 90—94. Authentiam etiam propugnat MOLINIER in Comment. l. p. 69.

imo consulto de authentia tabularum contra eum disputat cl. GIRAUD [1]) prorsusque, me quidem judice, in plerisque virum doctissimum refutavit, ita ut multis dubiis respondere equidem supersedere possim. Cum tamen meum esse videatur sententiam meam de authentia prodere, praetereaque valde periculosum esse opiner disputationem superstruere fundamentis non certis ac validis, jam statim, ne postponantur quae potius anteponenda videantur, generales observationes cl. LABOULAYE, quae ad hanc causam pertinent, recensebo ac refutare conabor.

Auctor confectas esse leges a falsario quodam contendit; quidquid autem illi falsario natura negavit, eum magna certe eruditione summaque Antiquitatum Romanarum notitia fuisse nemo negabit. Imo ei qui hasce inscriptiones fabricatus esset, summus, opinor, locus inter rei epigraphicae peritos competeret [2]).

Paulisper admissa sententia cl. LABOULAYE, manifestum est falsarium aut Hispanum fuisse aut non.

Si non fuerit Hispanus nonne multo facilius tabulas postquam fabricatus esset, propiore quodam loco condere potuisset quam eas, quarum pondus tam magnum esse notum est, perducere ad Herculis usque Columnas?

---

1) In Opere „*Les Tables de Salpensa et de Malaga* 2 ed. Paris 1856.

2) Ad hoc confirmandum nulla probatione opus est; testatur argumentum totius legis tam Salp. quam Mal.; manifestum autem exemplum eruditionis et sollertiae occurrit in legis placitis ubi agitur de venditione in vacuum. Haec enim venditio ante legem Mal. repertam nota non erat, nisi ex loco SUETONII (*in vita Claudii* Cap. 9), ubi legitur: Ad eas rei familiaris angustias decidit ut quum obligatam aerario fidem liberare non posset in vacuum lege praediatoria venalis pependerit. Est ἅπαξ λεγόμενον illud „in vacuum venalem pendere" hoc loco. Sed de eruditione falsarii quid dicam? Quis enim, fac ut unum locum illum jam novisset, ex eo construere potuisset venditionem in vacuum legis Malacitanae?

Etiamsi autem Hispanus fuerit, nonne ineptus ille summo jure judicaretur qui nulla spe lucri proposita tantos sumptus fecisset?

Dignum est, quod animadvertatur nomen Domitiani cuius memoriam post mortem damnatam esse cognovimus, i tabula Malacitana erasum, in Salpensana vero servatum de prehendi [1]). Effectus autem damnationis cum sint acta Impe ratoris revocari, nomenque eius eradi ex legibus et formuli jurisjurandi, falsas esse leges id quoque ei argumento fuit quo nomen Domitiani etiamnunc in tabula Salpensana inveniatu Sufficeret animadvertere hanc inscriptionem unicum monumentu non esse ubi etiamnunc reperiatur nomen Imperatoris damnati [2] causam vero probabilem cur in tabula Salpensana sit servatu me judice recte indicavit GIRAUD [3]).

Denique LABOULAYE, cum signum *R* pro *Rubrica* init singulorum legis capitum collocatum videret, hanc littera ineptam esse contendit in illis legibus quae in aere caelat sint.

Quo consilio vox *Rubrica* sive signum *R* in legib pergamento scriptis sive aliis libris appingebatur? Ut initium singulorum capitum attenderetur [errare enim u caput quoddam incipiat et terminetur facile esse, exemplu a cl. GIRAUD allatum perspicue demonstrat [4])], rubro colo

---

[1]) Post mortem Imperatoris Senatus decernere solebat utrum inter di referretur an damnaretur eius memoria. Quid tale decretum continue fuse exposuit SUETONIUS in Domit. Cap. 23. Cf. quoque C. F. BURCHAR *Lehrbuch des Römischen Rechts*, Stuttgardt 1841. I, p. 176.

[2]) Vid. Inscriptiones Latinas ed Orelli n⁰. 767, 770, 774, 1494, 1 etc. etc.

[3]) In Op. l. p. 67. [4]) In Op. l. p. 20.

initia capitum signabantur, quod cum obsolevisset solebant vocem *Rubricam* sive etiam litteram *R.* ibi collocare. Verisimile est, Domitianum hasce leges in pergamena charta scriptas in Hispaniam misisse ibique eas in aere caelatas esse, neque mirum videri potest caelatores quos plerumque servos fuisse constat, hoc signum quod in manuscriptis invenissent in aes transtulisse [1]). Sufficient haec ut ostendam, opinor, dubia quae cl. LABOULAYE attulerit non esse tanti momenti ut in eius sententiam abire cogamur.

Haec jam scripta erant quum nuperrime accidit cl. LABOULAYE ut fautorem atque propugnatorem sententiae suae inveniret. Etenim Dr. ASHER hoc ipso anno commentationem de authentia tabularum conscripsit [2]), neque eam tantum prorsus rejecit, verum etiam, tempus ipsum quo confecta sunt monumenta indicavit et methodum quam sibi sumpserit falsarius.

Quae objecit tamen, quamvis summa fiducia proposita, mihi non persuaserunt, neque puto ea facile cuiquam persuasura. Necesse tamen est ut quae sententiae meae opposuit refutare aggrediar.

Auctor nimis sane veritate opinionis suae confisus ita incipit: „Pour mettre la fausseté des bronzes de Malaga hors de doute, il suffit d'examiner attentivement les deux chapitres de la Table de Salpensa qui traitent des affranchis (23 et 28)"; Sufficiet fortasse auctori; mihi non item; etenim haec capita etiamsi constaret falsa esse nihil tamen derogarent authentiae

---

1) Cf. vir. cl. ARNDT in Commentatione quae prodiit in diario Juridico cui nomen: *Kritische Ueberschau der Deutschen Gesetzgebung und Rechtswissenschaft*, 1857, IV, p. 132.

2) Prodiit in Diario: *Revue Historique de Droit Français et Étranger* anno 1866.

tabulae Malacitanae; duae enim illae tabulae non ab eodem auctore sunt confectae [1]).

Dubia quae Dr. ASHER movit referuntur tam ad formam quam ad argumentum tabularum; quae tamen petiit ex argumento modo spectant ad capita 23, 28, 29, qua re illis ubi capita illa exponentur respondebo; hoc loco tantum recenseantur observationes generales de forma tabularum, de tempore quo confectas esse dicit, etc.

Monet auctor [2]) longe plurimas inscriptiones quae manifesto falsae sint, si attendas ad alias regiones, in Hispania esse inventas earumque complures Malacae, in ipsa hac urbe. Ita sit; neque minus tamen constat perpaucas inscriptiones quas falsas esse constat in aere caelatas fuisse.

Accurate quoque auctor [3]) omnia notavit quae negligenter sunt scripta vel caelata in legis parte de qua dicit, sive sint vitia artificis sive auctoris; quae in iis adesse non nego; causam probabilem jam attuli; neque tamen in nostris tantum inscriptionibus occurrunt [4]); mirum ceterum prorsus accidere nequit, quod plura in hisce tabulis occurrant quam in aliis monumentis; etenim ratione habita aliarum sunt mirae magnitudinis. Consilium quo fabricata sunt haec monumenta indigcare non neglexit; ita enim loquitur [5]): „On découvre le but de l'auteur dans cette tendance si finement observée par M. LABOULAYE d'exagérer les anciennes libertés de Malaga."

---

1) cf. argumenta quae MOMMSEN (*Stadtr.* p. 456) et GIRAUD in Op. l, p. 15 attulerunt; quibus non obstat nuda negatio auctoris, in Comment laud p. 126, 2.

2) P. 120, commentationis.

3) P. 116 et 129, commentationis.

4) Vid. GIRAUD in Op. l. p. 11—20.

5) P. 134 commentationis.

Vulgo putabant eos qui nummos vel inscriptiones conficere solerent ideo fecisse ut inde lucrum perciperent; magno pretio enim venibant; quantopere autem differt ab illis fabricator harum tabularum! Nulla spe lucri ductus tabulas quarum magnum fuit sane pretium, conficiendas curat, idque tantummodo, ut extollat jura reipublicae suae; simul tamen id facit quo nunquam fortasse consilium suum assequatur, nam abscondit in loco ubi per tria, secundum auctorem, secula recondita manere possint; ubi ne hoc quidem tempore inventae fuissent nisi fortuito accidisset!

Dr. ASHER eo progressus est ut tempus definiret quo tabulae essent fabricatae; dicit enim [1]): On peut affirmer avec assez de certitude que les Tables ont été fabriquées entre 1530 et 1560."

De hac re eo certior factus est quod ab anno 1530 imprimis invaluit mos conficiendarum inscriptionum; huic asseverationi tamen omnis vis deerit, si suspicionem eius ex argumento haustam redarguero quod suo loco fiet.

Post 1570 monumenta non esse confecta contendit quia Ulpianum non novit auctor, cuius fragmenta anno 1549 erant publicata. Nego propositionem veram esse; non est probata; cum ea quoque conclusio corruit. Methodum denique falsarii fuisse contendit interpolationem; capitis 29 legis Salp. verba nonnulla signum authentiae prae se ferunt; nonnulla sunt spuria. Huic asseverationi tantum hoc opponere licet me adeo peritum non esse ut illa contendere audeam neque idem facere ausi sunt MOMMSEN, DIRCKSEN, RUDORFF et alii scientiae epigraphicae peritissimi.

---

[1]) P. 127, Commentationis.

Haec sunt dubia quae ex legis forma desumpsit auctor; graviora, opinor, ei visa sunt argumenta quae ex ipsis legum placitis hausit, quae, cum eo progressus fuero ut de jure privato Salpensanorum agam attingere et dijudicare libet.

Authentia tabularum defensa, hoc loco nonnulla generalia inserere juvat de ipsis legibus, de natura earum ac de tempore quo latae sunt.

Auctor legum fuit, uti obiter jam monui, TITUS FLAVIUS DOMITIANUS VESPASIANI filius qui anno 81 post C. n. in locum fratris TITI Imperatoris successit; quum autem variis locis tam in lege Malacitana quam Salpensana Imperator DOMITIANUS vivus memoretur [1]) aetatem legum quodammodo definire licet; inde enim sequitur leges latas esse inter annum 81 quo, mense Septembri, imperium suscepit DOMITIANUS et annum 96 quo occisus est; accuratius tamen de tempore statuere possumus, nam ineunte anno 84 Imperator cognomen Germanici accepit, quo si iam usus fuisset tempore quo hae leges latae sunt procul dubio mentio eius in tabulis occurreret. Igitur leges latas esse inter annos 81 et 84 verisimile est. Hactenus consentiunt omnes interpretes [2]).

MOMMSEN vero nondum hoc eventu contentus ipsum annum definire conatus est neque tamen eius disputationi assentiri possum. Auctor, postquam statuit leges ante annum 81 ferri non potuisse, addit: „Oder (die beiden Urkunden sind) viel-

---

1) In lege Mal. Cap. 59, in lege Salp. Cap. 24, 25, 26.

2) Praeter cl. MOMMSEN in *op. l.* p. 389, 390. LABOULAYE in *op. l.* p. 6 GIRAUD *op. l.* p. 25, 26. Cf. etiam cl. DIRCKSEN in disputatione quae exstat. in Opere: *Abhandlungen der Königlichen Academie der Wissenschaften anni* 1856. Titulum prae se fert: *Ein Beitrag zur Auslegung der epigraphischen Urkunde einer Städte-Ordnung der Latinischen Burgergemeinde zu Salpensa* ibid. p. 680.

mehr (abgefasst) zwischen 82 und 84, da einerseits S. 22. 23. schon auf Grund eines Edicts von Domitian vorgenommene Magistratswahlen vorausgesetzt werden, also wenigstens da die Wahlen für 82 stattfanden dies Gesetz noch nicht erlassen war," etc. Perspicuum est edictum quod in lege Salpensana memoratur huic ipsi antecessisse; spatium temporis tamen quod interfuerit, prorsus ignotum est. Non solum tamen ipse annus nusquam diserte memoratur, verum etiam ex argumento legis de aetate non licet conjicere. Etenim neque ex Cap. 22 neque ex Cap. 23 apparet Latinos Salpensanos, magistratu gesto, jam *ante* legem civitatem Romanam consecutos fuisse. Si de hac re constaret meliore fundamento niteretur opinio cl. MOMMSEN, nam ex edicto post annum demum civitatem consequebantur Salpensani, quodcum ita non sit ipsum annum legis latae definire non licet.

De natura harum legum quae recte Flaviae appellatae sunt [1]) non consentiunt interpretes. Variis locis in monumentis Hispanicis omnia instituta municipiorum „*lege*" introducta esse dicuntur; quaeritur tamen cuius generis sint leges in inscriptionibus saepius memoratae: utrum sint leges latae in comitiis a populo Romano an potius dicendae sint Constitutiones Imperatoris DOMITIANI, quae quaestio ideo satis difficilis videtur quia nullae leges municipales tempore Caesarum latae in monumentis praeter nostras occurrunt. De hac re in varias partes abeunt opiniones interpretum.

---

[1]) PH. E. HUSCHKE, in Opere: *Beiträge zur Kritik des Gaius*, Leipzig 1855, p. 14, jam antiquitus illo nomine vocatas esse leges statuit, de quo tamen dubitat cl. ZUMPT, *Stud. Rom.* p. 298, 307. Opinioni cl. HUSCHKE assentior quippe quae admodum probabilis videatur; notum enim est ex more Romanorum leges nomen accepisse ab eo qui eas tulerit, quumque Titum Flavium Domitianum earum auctorem fuisse constet, secundum morem Romanum eas Flavias fuisse appellatas statuo. Denique quocumque nomine antiquitus vocatae sunt, hodie sane jure Flaviae appellantur.

Mommsen [1]), contendit leges fuisse constitutiones principum, legum vice datas, quas tamen ab edictis distingui oporteat. Giraud [2]), cui assentitur zell [3]), neque in illa neque contraria opinione plane acquiescit; neque enim ab Imperatore neque in comitiis a populo Romano hasce leges datas esse sed formulas fuisse reipublicae constituendae a praeside provinciae vel ab ipsis municipibus datas opinatus est. Licet igitur paulisper ab opinione quam protulit mommsen discedant una cum eo negant eas esse latas secundum formam legi a populo tempore reipublicae ferendae praescriptam. Putant tempore tiberii potestatem legiferam populi Romani in comitiis desinere coepisse; nituntur imprimis loco taciti [4]), ubi dicitur: „Tum primum comitia e Campo ad patres translata sunt", quae tamen verba aliam explicationem permittunt, imo suadent, si attendimus ad testimonium suetonii, qui dum constitutionem illam tiberii ab Imperatore caligula abrogatam esse narrat, ita loquitur [5]): „tentavit et comitiorum more revocato *suffragia* populo reddere", quibus collatis tacitum l.l. de comitiis magistratibus creandis locutum esse censeo. Ideo quoque haec explicatio magis placet quia populi partes in legislatione post Tiberium hic illic memoratae inveniantur v. g. in lege de imperio vespasiani [6]) ubi legitur:

---

[1]) *Stadtr.*, p. 390, quem secuti sunt A. A. F. RUDORFF, in Opere *Röm. Rechtsgeschichte*, Leipzig 1857, I. p. 16. Lange, *Römische Alterthümer*, Berlin 1862, II, p. 616.

[2]) in Op. l. p. 31 et 32.

[3]) in Opere: *Leges municipales Salpensana et Malacitana aliaque supplementa ad monumenta legalia*. Heidelberg 1857, p. 7.

[4]) *Ann.* I, 16, ubi loquitur de aetate TIBERII.

[5]) In *vita Caligulae* Cap. 16, cf. DIONEM CASSIUM, Lib. 59, cap 9, ubi legitur: „τὰς ἀρχαιρεσίας τῷ δήμῳ ἀποδέδωκε".

[6]) Vid. ZELL. *Delectus Inscriptionum Romanarum*, Heidelberg 1850, no. 1686.

„Utique quae ante hanc legem rogatam acta, gesta, decreta, imperata ab Imperatore Caesare VESPASIANO Aug. jussu mandatuque eius a quoque sunt ea perinde justa rataque sint, *ac si populi plebisve iussu* acta essent."

Quamvis igitur, uti ostendere conatus sum, probari nequeat neque liceat ideo contendere, legem post Tiberium alio modo constitutam esse quam sub Augusto, tamen in legibus sub Imperatoribus latis partes populi non tantas fuisse reor, quantae florente republica illi impertitae fuerint. Sub Caesaribus potius leges vocanda Senatus consulta a populo confirmata.

Quod ad ipsas leges nostras attinet, alia accedit causa cur opinioni laudatae obloqui cogar; minus enim quam par est fere omnes interpretes attendere videntur ad divisionem provinciarum quae sub Augusto peracta est. In provinciis enim Senatoriis Imperatores eadem potestate usos esse atque in iis quae sibi ipsis attributae essent non censeo; imo, duce ZUMPT [1]), mihi videtur Imperator in suis provinciis omnia negotia constitutionibus absolvisse, in iis autem quae essent Senatus populique Romani, qualis erat Baetica [2]), sine senatus et populi auctoritate leges praescribere noluisse. Imperator tamen, quippe qui omnes honores teneret libera republica inter plures magistratus divisos, leges ad senatum ferre potuit, etiam, uti res ipsa docet, de rebus ad senatus provincias pertinentibus, quae solebant a Senatu accipi cum acclamatione [3]). Haec quoque ratio nostrarum legum ferendarum fuisse vide-

1) *Stud. Rom.* p. 304, 307.

2) Vid. p. 28, 29 Diss.

3) Praemitti solebat talibus rogationibus ad commendandum oratio principis; quanta adulatione saepius hae orationes a Senatu acceptae sint, probant quae in senatu acta sunt cum Theodosii Junioris codex ibi afferebatur vid. leg. 5 pr. *Cod. Theod.*

tur. Domitianus leges tulit, senatus rogationem comprobavit, quofacto nihil amplius requirebatur quam confirmatio Scti per populum, quae cum secuta esset, recte *leges* vocari potuisse videntur. Antequam hanc partem absolvam etiam reiicienda est opinio, quam petiit MOMMSEN ex ipsa lege Salpensana [1]). Cum enim in Capite 26 legis Salp. legem *„datam"* esse scriptum videret, inde effecit leges descendisse ex potestate legifera Imperatoris ei lege regia a populo mandata. Me judice tamen summo jure cl. DIRCKSEN contra haec animadvertit hanc formulam *„legem dare"* nimis premendam non esse, cum usus formulae cuiusdam omnino non probet actum formula significatum locum habuisse. Disputationem suam illustrat exemplis, unde patet, apud GAIUM, ULPIANUM, imo in Codice Theodosiano formulas *„legem rogare, ferre"* inveniri, cum jam diu actus formulis significati obsolevissent [2]). Praeterea mirum videtur eosdem qui hoc loco tantam vim formulis tribuant, idem non facere cum *„leges"* post TIBERIUM memoratas videant.

[1]) *Stadt.* p. 393, 394.

[2]) Vid. in *Comment.* laud. p. 680, 81, not. 8.

PARS I.

DE MUNICIPIIS IN JURE ROMANO [1]).

Unicuique leges nostras inspicienti singula capita indicare possunt urbes Malacam et Salpensam fuisse municipia neque minus hoc testantur historicorum testimonia, uti suo loco, quum de ipsarum urbium jure agemus, ostendere conabimur.

De jure autem harum urbium sc. utrum sint municipia Latina an civium Romanorum inter MOMMSEN et ZUMPT tam gravis orta est controversia, ut illum jam contenderit ZUMPT cuncta illa evertere, quae omnes semper constare censuerint de jure municipiorum in antiquitate Romana.

Quae cum ita sint, mihi consentaneum videtur ut in quaestionem inquiram, quid municipium in Jure Romano fuerit, ut facilius alteram illam quaestionem de jure ipsorum municipiorum Malacae et Salpensae solvere possimus.

---

[1]) Haec pars cum jam typis esset parata, prodiit opusculum conscriptum a viro cons. Dr. v. LIER, cui titulus: *Beschouwingen over den toestand der bevolking en inrigting der municipiën*, Nijmegen 1866. Commentationis pars prior usque ad pag. 32 huc pertinet; in plerisque eandem opinionem de conditione municipiorum tuetur auctor; in nonnullis quoque differt. vid. Diss. p. 24. not. 1.

Vix negari posse videtur admodum difficilem esse hanc quaestionem, quam inde ortam esse difficultatem puto, quod plerumque ubi apud veteres memoratur, quo iure urbs quaepiam gavisa fuerit, id verbo tantum fieri soleat, quidque illo jure contineatur, non explicetur.

Praeterea auctores qui consulto explicationem juris suscipiunt illarum civitatum quae municipia vocantur non semper assentiri videntur in definiendo illo jure; causa huius rei est quod diversae illae definitiones ad diversa spectent tempora. Difficultas explicationis autem, quam supra jam tetigi, augetur tum eo, quod veteres aetatem, quam describunt, non indicant, tum eo, quod recentiores fere semper de interpretatione veterum dissentiunt, quapropter longe optimum esse duxi ipsis tantum fontibus disputationem meam superstruere; hic illic tamen varias recentiorum opiniones attingere, imo nonnumquam laudare vel reprehendere licebit.

Ipsa vox „municipium" sive potius „municeps" (nam municipium deducendum esse a „municeps" res ipsa docet) ducitur a voce „munia" „munus", quod onus sive officium significat [1]), et „capere"; quam vocis explicationem veram esse, licet dissentiat DUBOIS [2]), ipsorum veterum auctorum testimonia satis probant [3]). Etymologice igitur voce „municeps" designatur ille qui onera sive officia sustentat, quam notionem

---

1) Vid. l. 239 § 3 D. *de Verb Sign* (50.16) l. 1 § 1 D. *ad municip.* (50.1) addatur PAUL. DIAC. *excerpta* Lib. 12 ed. MÜLLER p. 140.

2) In Opere: *Essai sur les municipes dans le Droit Romain*, Paris 1862, p. 11, not 5.

3) Cf. FESTUM in libro *de Verborum Significatione* ed MÜLLER, p. 142, sub. voce municipium in verbis: municipes quibus non licebat magistratum capere sed tantum muneris partem.

optime convenire apparebit cum iis quae de condicione primaria municipis memoriae tradita sunt.

Ne variis significationibus tamen quibus accipitur vox „municeps" in errorem inducamur, animadvertatur necesse est non semper ubi de municipio vel municipe sermo sit, personae vel civitatis Urbis Romae ratione habita condicionem indicari [1]); verum etiam verbo „municeps" saepissime significari jura alicuius ratione habita urbis unde ortus sit, ita ut vox „municeps" quasi pro cive municipii accipienda sit [2]).

Si de origine municipiorum quaeratur, attendendum est ad varios modos quibus Roma sibi devinxerit populos amicos vel bello subjectos; unum enim ex hisce largitionem juris municipii fuisse apparebit.

Romani fere nunquam solebant populos devictos exstinguere sive in servitutem abducere sed potius, imprimis quamdiu urbs nondum satis firma potestate utebatur, id sibi curae habebant ut hostes in civitatem reciperent. Quae consuetudo a Romulo repetita a CICERONE fundamentum imperii praedicatur [3]). Non tamen omnes hostes civitate plena donabantur: saepius evenit ut civitas sine suffragio nonnullis deferretur; complures etiam populi jure foederis cum Romanis juncti erant; non tamen illa foedera ejusdem naturae erant, quorum

---

[1]) In hoc capite tantum de municipe hoc sensu accepto disputabo.

[2]) Cf. tabulam Heracleensem Cap. 12, apud ZELL. *Delectus* etc. no. 1682. Cf. verba ULPIANI in lege 1 § 1 *ad mun.* laud „municipem dicemus suae cuiusqui civitatis civem;" add. lex. Mal. et Salp. ubi saepius hac significatione occurri vox „municeps."

[3]) Vid CICERONEM in Orat. *pro Balbo* Cap. 13 ubi ait: „Illud vero sine ulla dubitatione maxime nostrum fundavit imperium et populi Romani nomen auxit quod princeps ille creator hujus urbis, Romulus foedere Sabino docuit etiam hostibus recipiendis augeri hanc civitatem oportere, cujus auctoritate et exemplo nunquam est intermissa a majoribus nostris largitio et communicatio civitatis." cf etiam LIVIUM Lib. 36 Cap. 24.

discrimen jam satis inde apparet quod aequa foedera aliis opponuntur [1]).

Municipia origine civitates fuisse puto aequo foedere Romanis junctas, quae opinio nititur non tantum prima Pauli definitione quam mox allegabo, sed eo quoque confirmatur quod tale foedus cum Latinis ictum fuisse scimus [2]) et inter municipia antiquissimi generis Latinae urbes recensentur; accedit quod municipia illa civitate Romana caruisse constat. Quid autem illo foedere continebatur? Condicio sociorum inter se invicem quae voce „isopolitia" apud veteres designatur; sibi invicem auxilium contra hostes quoscunque praestare debebant; omnia onera, quae Romanis, incumbebant etiam sociis illis ex municipiis si Romam domicilium transferebant, quo facto iisdem quoque juribus fruebantur praeter jus suffragii et honorum.

Quam optime haec omnia convenire cum iis quae PAULUS DIACONUS de antiquo genere municipiorum scripserit [3]) ut appareat, hoc loco illam definitionem inserere juvat. Dixit enim: „Municipium id genus hominum dicitur qui quum Romam venissent neque cives Romani essent, participes tamen fuerunt omnium rerum ad munus fungendum una cum Romanis civibus praeterquam de suffragio ferendo aut magistratu capiendo sicut fuerunt, Fundani, Formiani, Cumani, Acerrani, Lanuvini, Tusculani, qui post aliquot annos cives effecti sunt." Ad idem quoque genus municipum FESTUS (l.l.) spectare videtur quum scribit: „Municipes erant qui ex aliis civitatibus Romam venissent quibus non licebat magistratum capere sed tantum muneris partem." Ex hisce veterum testimoniis sequi videtur:

---

[1]) Vid. leg 7 § 1 D. *de capt. et postl. rev.* (49, 15).

[2]) Cf. CICERONEM *pro Balbo* cap. 23.

[3]) Apud FESTUM in libro *de Verb. Sign.* ed. MÜLLER p. 127 in voce „municipium."

1° municipes hujus generis non fuisse cives Romanos [1]); 2° eos tamen cum Romam venissent i. e. cum domicilium ibi collocassent [2]), omnia onera sive munera una cum Romanis obire debuisse [3]); eos tamen non tantum onera tulisse verum etiam juribus gavisos esse iisdem ac Romanos (hoc enim sequi videtur ex PAULI verbis: participes fuerunt *omnium* rerum) praeter jus suffragii et honorum; 3° denique eos post aliquot annos civitatem Romanam consecutos fuisse.

Postrema haec verba ansam dant quaestioni de quo tempore PAULUS scripserit et quando cives facti sint illi municipes.

---

1) Id totidem verbis a PAULO in definitione laudata dicitur, quamobrem mirum procul dubio cuivis videri debet quod PETER, in Commentatione, cui titulus: *Dass Verhältniss Roms zu den besiegten Italischen Städten und Völkern bis zur lex Julia im Jahre* 90 *v. Chr.*, quae inserta est Diario: *Zeitschrift für die Alterthumswissenschaft*, anni 1845, p. 206, 207) scribit: „Die civitas sine suffragio (illarum urbium scilicet quae in definitione occurrunt) ist durch die Worte: participes fuerunt omnium rerum ad munus fungendum cum Romanis civibus hinlänglich bezeichnet. Dass er (Paulus) sie nicht als cives Romani anerkannt ist nicht auffallend wenn man bedenkt dass die civitas sine suffragio zu Festus zeit ganz aufgehört hatte.” Causam tamen invenire mihi facil enon videtur quare Paulus, si civitas sine suffragio illis municipibus competiisset, nihilominus eos non fuisse cives dixisset, cum semper, qui jure suffragii et honorum destituti sint, ceteris tamen civium juribus gaudeant, cives dicantur vid. v. g. LIVIUM. Lib. 38, Cap. 36, et T. P. TRESLING, in Dissertatione Juridica Inaugurali „*de Romanorum prudentia, in populis sub imperium suum subjungendis conspicua*” Groningae defensa 1834, p. 91 not. 1. cf. ipse PETER in Comm. p. 207, not.

Omnis dubitatio denique solvi mihi videtur si attendamus ad ea verba quae PAULUS ad finem ejusdem definitionis addit, sc. haec: „qui post aliquot annos cives effecti sunt” ubi qui non erant cives jure civitatis auctos esse scribit, quibus sine dubio spectat ad civitatem sine suffragio, quam circa bellum. Latinum plerisque ex illis urbibus LIVIUS datam esse narravit. cf. LIVIUM, Lib 8. Cap. 14, 17.

2) Cf. PAULY in *Realencyclopedia des Classischen Alterthums* in voce *municipium*, p. 214 in fine. PETER in *Comment.* l. p. 206.

3) Si quaeras quae fuerint illa munera, respondeo inter ea munus militare praecipuum fuisse cf. l. 18 D. de *Verb. Sign.* (50, 16).

Gaudeo ubi tanta sit difficultas in statuendo jure quo municipia fuerint praedita diversis temporibus, certe illam aetatem definiri posse quo PAULUS in definitione laudata spectaverit.

Nam sine dubio PAULUS ibi loquitur de tempore ante bellum Latinum confectum (anno 338 a. Chr. n.); tum enim urbes quas resensuit civitatem adeptas esse constat [1]). Cum illo tempore iis, paucis exceptis, civitas sine suffragio delata esse a LIVIO narretur, verba LIVII et PAULI ita concilianda videntur ut hic veterem urbium conditionem describat eiusque mutationem post certum tempus [2]); ille vero narret, quando haec mutatio facta sit quaeque illa fuerit.

Quaestio in promptu est, num post bellum Latinum etiam municipia generis illius, quod PAULUS hac definitione comprehenderit, fuerint. Affirmando respondendum videtur; uti enim jam ante bellum Latinum fuerint urbes quae civitate uterentur [3]), ita postea quoque factum esse censeo. Diversis temporibus sane diversa quoque sunt genera municipiorum et illa genera sunt suo quodque tempore praecipua neque tamen puto ea sola aliaque illis aetatibus nulla fuisse. Quidquid autem de hac re statuendum est, constare videtur post bellum Latinum multis municipiis antiquissimi generis civitatem sine suffragio datam esse, nonnullis etiam plenam [4]).

---

[1]) Vid LIVIUM Lib. 8 Cap. 14. Acerranos civitatem denique adeptos esse aliquot annis post ceteras urbes ex Capite 17 apparet.

[2]) Quod continetur verbis: „qui post aliquot annos cives facti sunt."

[3]) Tusculum v. g. LIVIUS, Iib. 6. Cap. 26. Lib. 8. Cap. 14 ubi scriptum invenitur: Tusculanis servata est civitas quam habebant. Inde tamen non sequitur PAULUM errare ubi Tusculanis in prima definitione civitatem abnegat; nam procul dubio de tempore scribit quod antecessit civitatem a Tusculanis acceptam.

[4]) Quam vehementissime hoc negavit PETER in *Commentatione l.* p. 202. cf. p. 223, 224 me judice tamen non satis firmis argumentis. Apud LIVIUM

Antequam plura addo de variis modis quibus municipes esse possint cives Romani, quibus distinguendis ansam dabunt diversae (praeter jam enumeratas) definitiones vocis „municeps," quae apud veteres inveniuntur, impugnandus est error in quem RUBINO [1]) incidisse videtur, cum dicit: „Die Eigenschaft der Bürger einer verbündeten italischen Stadt der im Römischen Staate bürgerliche Pflichten und Rechte ausübte war es und blieb es ein Nichtbürger zu sein, nicht zur Genossenschaft der cives Romani zu gehören; seine Benennung war „municeps" et paulo post [2]): „Municipes und cives sind den ganzen Zeitraum der Römischen Republik und der ersten Imperatoren hindurch bis zum Verschwinden des alten staatsrechtlichen Bewusstseins hin mit einander unvereinbare, einander entgegengesetzte Begriffe geblieben; insofern Jemand. municeps war konnte er kein Bürger und insofern er Bürger war kein municeps sein." Argumento est huic opinioni regula juris Romani quae compluribus locis a CICERONE [3]) memoratur: nullum

---

enim (Lib. 8 Cap. 14) legimus: „Lanuvinis civitas data; Aricini Nomentanique et Pedani eodem jure quo Lanuvini in civitatem accepti." Simpliciter civitatem iis datam esse scribit dum Fundanos et alios civitatem sine suffragio habuisse docet; quod tamen argumentum urgere nolo, cum Arpinates quoque LIVIUS (Lib. 10 Cap. 1) simpliciter civitate auctos esse scribat, quos tamen ex Lib. 38 Cap. 36 civitate sine suffragio usos fuisse scimus. Maioris momenti argumentum ex eo peti posse videtur quod LIVIUS (Lib. 8 Cap. 17) scribit: „Eodem anno census actus, novique cives censi; tribus propter eos additae Maecia et Scaptia." Profitetur sane PETER l. l. novas tribus additas esse propter eos qui jam cives essent qui tamen usque ad hoc tempus jure suffragii destituti essent propter praediorum inopiam, pugnat tamen haec explicatio cum ipsis LIVII verbis, qui *novos* cives tribubus illis adscriptos esse narrat.

[1]) In Commentatione cui titulus: *Ueber die Bedeutung der Ausdrücke „municipium" und „municeps" in den Zeiten der römischen Republik*, quae invenitur in diario: *Zeitschrift für die Alterthumswissenschaft* anni 1845, p. 866.

[2]) p. 868.

[3]) In Oratione pro BALBO, Cap. 11, 12. 13.

Romanum participem esse posse civitatis Romanae et alterius civitatis.

Quaestio inde oritur utrum municipes cuiusque civitatis cum cives Romani fierent civitatem urbis unde orti essent retinuerint an vero amiserint? si amiserint, summo jure quaeri possit quare saepius iidem municipes et cives Romani dicantur [1].

Rem facile expediri posse arbitror si statuamus secundum jus Romanum eum qui civitatem Romanam consecutus sit civem Romanum neque, jure quidem Romano, civem alius civitatis haberi, ita ut CICERO vera testatus sit; attamen jus Romanum non prohibet quominus juribus gaudeat officiisque obstrictus sit quis in sua ipsius urbe; haec quaestio decernebatur ipso illius urbis jure. Hoc quoque CICERO testari videtur cum Romanis reliquos opponens, addat: „Ceteris concessum est" [2].

Jam monui compluribus locis eosdem municipes et cives Romanos dici; neque hoc auctorem fugit. Addit enim verbis laudatis: „Wie kommt es dann aber wird man fragen dass so viele welche in Rom sich in dem Bezitze des vollsten Bürgerrechts der höchsten Ehrenämter befanden doch municipes hiessen? Respondet huic objectioni satis gravi ut videtur: Nichts kan einfacher sein; sie waren nicht municipes in Rom sondern in irgend einer andern Stadt." Sane haec explicatio acute est excogitata; pugnat tamen cum usu dicendi vulgari, nam ubicunque vox „municeps" legitur juncto adjectivo a nomine proprio desumpto (v. g. municeps Gaditanus sive Malacitanus), significatur *civis* eiusmodi urbis, neque is qui jura quaedam habet in urbe illa;

---

[1]) Vid. v. g. definitionem vocis „municeps" quam dedit SERVILIUS apud FESTUM in illa voce ed. MÜLLER, p. 142.

[2]) Cf. v. SAVIGNY, *System.*, Tom 8. p. 49 not *t*.

alioquin saepius municipes Romani memorati essent quod tamen nusquam, quantum equidem scio, factum est. Igitur ubi occurrunt municipes Tusculani v. g. sive Amerini sive Malacitani hac voce cives illorum municipiorum designatos esse puto.

Sublatis itaque quae dubia RUBINIO videbantur, post bellum Latinum municipia nonnulla civitate Romana sine suffragio usa esse statuere licet. Definitio huiusmodi civitatis occurrit apud FESTUM l. l.; ibi SERVILIUS fertur dixisse: „initio fuisse, qui ea condicione cives Romani fuissent ut semper rempublicam separatam a populo Romano haberent, Cumanos videlicet, Acerranos, Atellanos, qui aeque cives Romani erant et in legione merebant sed dignitates non capiebant." Constat hanc definitionem pertinere ad tempus post bellum Latinum, nam PAULUS qui de superiori tempore scripsit Cumanos et Acerranos inter ea municipia recenset quae non habebant civitatem: ceterum Cumanos statim post bellum Latinum, Acerranos paulo post civitatem sine suffragio consecutos esse jam ex LIVIO (8. 14, 17) cognovimus. Jure suffragii et honorum hi cives destituti sunt; in ceteris aequiparantur civibus optimo jure; attendendum tamen ad parvum discrimen ratione muneris militaris; cum enim cives optimo jure militarent in legionibus Romanis, cives sine suffragio proprias sibi legiones habebant [1]), quare ad hoc quoque SERVILIUM in definitione [2]) spectasse puto.

Operae pretium est animadvertere SERVILIUM iis municipibus adscribere rempublicam semper separatim a populo Ro-

---

1) Cf. PAULY, *Realencyclopedie*, p. 220, addatur MOMMSEN, in Opere *Römische Tribus*, Altonae 1844. p. 158, 159.

2) In verbis scilicet: „et in legione merebant."

mano habitam; hinc enim quaestio oritur num omnia municipia civitate sine suffragio donata talia fuerint; cui quaestioni negando respondendum esset. Si statuere oporteret municipes quos PAULUS secundo loco ita describit: „municipium est cum id genus hominum definitur quorum civitas universa in civitatem Romanam venit, ut Aricini, Caerites, Anagnini," etiam civitatem sine suffragio habuisse; imo si constaret SERVILIUM et PAULUM de eodem fere tempore scripsisse, inde sequeretur eadem aetate civitatem sine suffragio diversam fuisse pro variis quibus concederetur oppidis. Ad eandem enim municipiorum condicionem utraque definitio adaptari nequit, quod statim apparet si accuratius investigemus quid PAULUS hac definitione voluerit. Verba eius: „civitas illorum municipum universa in civitatem venit" nihil aliud significant quam quod iis respublica ita adimebatur ut ne in alterius quidem admininistrandae societatem reciperentur. Quam veram esse explicationem apparet ex iis quae de historia urbium quas PAULUS recenset nobis innotuerunt, quae obiter attingere juvat.

Anagninis LIVIUS [1]) scribit in poenam civitatem sine suffragio datam esse interdictumque iis qui magistratum apud eos gererent ne quicquam negotii publici agerent praeter sacrorum curationem.

De Caeritibus multum disputatum est, neque omnia quae de iis scripta sunt conferre et dijudicare in animo est; sufficit, me judice, animadvertere eos quum antea Romanorum amicitia usi essent [2]), municipes sine suffragio factos rempublicam amisisse [3]).

---

1) Lib. 9. Cap. 43. 2) Vid. LIVIUM, Lib. 5 Cap. 40. Lib. 7. Cap 20.

3) Vid. Schol. Cruq. ad HORATIUM Ep. I, 6, 63, ubi legitur: posteaquam Caerites sunt ausi Romanis rebellare iis devictis iterumque civitate donatis jus

Quid autem SERVILIUS verbis laudatis indicare voluit? Condicionem municipiorum quorundam oppositam, opinor, ei quam PAULUS notavit; municipia enim a SERVILIO memorata rempublicam suam servabant cum Anagninis et aliis adimeretur. Cumanis statim post bellum Latinum civitatem datam esse constat, eandem paulo post Acerranis concessam esse jam monui; Atellanos quoque mox eam adeptos esse conjicere licet.

Si autem de tempore quaerimus, quo civitas Anagninis, quorum apud PAULUM mentio occurrit, data sit [1]), collata aetate civitatis acceptae ab iis urbibus quas SERVILIUS recenset, statui oportet paucis annis post bellum Latinum municipia fuisse, quae quamvis civitate sine suffragio omnia gauderent, tamen jure prorsus diversa exstiterint; nonnullis respublica salva manebat; aliis civitas plane adimebatur. Origo juris illius plane diversi quamvis uno nomine appellati in oculos incurrit; si enim poenae causa municipibus civitas sine suffragio data sit, [2]) mirum non est eos in miserrimam condicionem

---

suffragiorum ademtum est censusque eorum in tabulas relati a ceterorum censibus remoti sunt. Pluribus de hac causa disputant MOMMSEN *Röm. Tribus* p. 160, 161. RUBINO in *Comm. l.* p. 883 not, PETER ibid p. 205. — De Aricinis prorsus nihil mihi notum est, cur eos auctore PAULO in hac miserrima conditione collocatos fuisse credamus. A LIVIO (Lib. 8 Cap. 14) cum Lanuvinis et aliis eos plenam civitatem adeptos esse docemur; quocum convenit quod CICERO (in *Oratione Philippica* Lib. 3. Cap. 6) Ariciam antiquissimum et honestissimum municipium appellat. PAULY (*Real-Encyclopedie* p. 219) hanc difficultatem vidit; conjecit Aricinos republica sua privatos esse ut fortiore vinculo Romae devincirentur; eos ergo recte a PAULO hoc loco recenseri putat. Eos tamen *beneficii causa* in illam condicionem redactos esse quae aliis *in poenam* tribueretur, non facile credam. Praeterea pugnat testimonium PAULI cum LIVIO.

[1]) Cf. LIVIUM, Lib. 9. 43.

[2]) Exemplo est Anagnia.

redactos esse [1]; si contra beneficii causa [2] vel potius non in poenam civitatem illam adipiscerentur, convenit cum rerum natura eos meliore condicione usos esse.

Usque ad bellum sociale plurima municipia ad alterutrum genus referri posse arbitror; postea tamen notum est multorum municipiorum condicionem magnopere esse mutatam; tum enim lege Julia et Plautia Papiria civitas optimo jure civitatibus cuiuscunque juris oblata est atque accipientibus data, quod egregie ostendit PAULUS cum urbes diversissimi juris [3] una definitione comprehendat, civitatemque iis adscribat. Ita enim loquitur: „Tertio (nam sequitur haec definitio duas illas quas jam citavi) quum id genus hominum definitur qui ad civitatem ita venerunt ut municipes essent suae cuiusque civitatis et coloniae ut Tiburtes, Praenestini, Pisani, Urbinates,

---

[1] Negat Dr. VAN LIER in opusculo laudato: *Beschouwingen*, cet. p. 17—20, civitatem sine suffragio poenae loco datam fuisse. Si vero teneamus civitatem sine suffragio saepius concessam fuisse iis qui bellum gessissent contra Romanos, imo cum largitione huius juris conjunctum fuisse interitum rei publicae eorum qui accepissent illud non facile pro praemio haberi potest. Accedit quod apud LIVIUM (9.45) legimus de civitate *necessaria;* beneficium autem non obtruditur, sed perinde ac si quaestionem solvere voluisset, addit hanc civitatem datam esse *„pro poena."*

Ceterum auctori libenter concedo nonnunquam pro praemio datam fuisse civitatem sine suffragio quod ipse contra vir. cl. PETER sustinui; error, autem in quem incidit Dr. VAN LIER inde, ni fallor, explicandus quod non satis attendit ad diversam illam civitatis sine suffragio naturam quam veteres indicant auctores.

[2] PETER in *Comm. l.* p. 204. professus est eos socios qui civitatem sine suffragio consecuti erant deterioris juris factos esse iisque semper civitatem illam poenae causa datam esse. Contrarium, me judice, ex LIVIO 8.14 apparet. Scripsit enim: „Campanis, *equitum honoris causa qui cum Latinis rebellare noluissent* (quod igitur est causa civitatis datae) Fundanisque et Formianis *quod per fines eorum tuta pacataque semper fuisset via* civitas data est sine suffragio." Cumque in eadem periodo adjecerit Cumanos eiusdem juris ac condicionis factos esse iis quoque beneficii causa civitatem impertitam esse puto.

[3] Tibur et Praeneste v. g. erant Latinae urbes, Pisa Etrusca, Urbinum Umbrica.

Nolani, Bononienses, Placentini, Nepesini, Sutrini, Lucenses." Discrimen inter. hanc et PAULI secundam definitionem non opus est ut multis explicetur. Postquam supra civitatem nonnullorum universam *in* civitatem Romanam venire dixit, hosce municipes ita *ad* civitatem Romanam venire ait ut municipes essent suae cuiusque civitatis [1]), perinde ac si indicare vellet eos qui posteriore loco recenseantur civitatem Romanam ita consequi ut cives esse suae cuiuscunque civitatis non desinant. Eorum respublica revera manebat neque in rempublicam Romanam transibat. [2]) Jam monui civitatem plenam iis legibus qualiscunque condicionis oppidis oblatam esse, quam si acciperent municipes in illas leges fundi fieri dicebantur. Ad hosce municipes locus GELLII, qui ceteroquin in hac definitione parum accurate locutus est, referendus esse videtur, ubi ait [3]): „Municipes sunt cives Romani ex municipiis legibus suis et suo jure utentes; muneris tantum cum populo Romano honorarii participes, a quo munere capessendo appellati videntur, nullis aliis necessitatibus neque ulla populi Romani lege adstricti nisi populus eorum fundus factus est." [4]) Fatendum est necesse fuisse, si populi Romani legibus adstringerentur, ut fundi fierent in legem de civitate latam; ZUMPT tamen jam ostendit GELLIUM errare contendentem si jam civitatem haberent praeterea opus

---

1) PETER, (in *Comment.*, *l.* p. 220) eleganter jam dixit: „Er sagt jetzt *ad* statt *in* weil die Städte wegen ihrer gröszeren Selbständigkeit mehr an Rom herantraten als sich darin verloren."

2) Cum definitione PAULI conferri meretur: CIC. *de leg.*. II. 2: ubi legitur: Omnibus municipibus duas esse censeo patrias, unam naturae, alteram civitatis.

3) *Noct. Att.* Lib. 16. Cap. 13.

4) Frustra PETER, in *Comm.* *l.* p. 222. locum GELLII ad eos spectare voluit qui Latinitatem adepti erant post legem Juliam, nam GELLIUS eos totidem verbis cives Romanos appellat.

fuisse ut fundi fierent in quamvis legem a populo Romano latam. [1])

Jam satis varia quae variis temporibus affuerunt genera municipiorum explicata videntur; addendum est postea, jam sub CAESARE, praesertim autem sub primis Imperatoribus jura municipiorum in provincias translata esse.

Superest ut in ea quae modo tantum attigi accuratius quodammodo inquiram; quaestio enim illa gravissima adhuc relinquitur: Utrum municipia legibus Romanis adstricta fuerint necne? Statuo municipia post legem Juliam simul cum civitate accepta etiam leges Romanas adepta esse neque ea si in leges fundi fieri nollent civitatem consecuta esse [2]), quod ad municipia attinet quae civitatem sine suffragio habebant prorsus idem obtinuisse non puto; si enim poenae causa civitas sine suffragio daretur neque hanc neque leges Romanas recusare potuisse eos qui civitate donabantur censeo [3]); si contra tanquam beneficium civitas sine suffragio offerretur, quum beneficium invito non obtrudatur, consequens est ut dicam eam

---

[1] Vid auctorem in *Comm. Ueber den Unterschied der Benennungen Municipium, Colonia, Praefectura im Römischen Staatsrecht*" quae exstat in *Abhandlungen der Königlichen Academie der Wissenschaften zu Berlin.* anni 1839 p. 112.

[2]) Cf. CICERONEM in *Oratione* pro BALBO Cap. 8 § 21. in verbis: „ipsa denique lege Julia, qua lege civitas est sociis et Latinis data, qui fundi populi facti non essent civitatem non haberent" cf. etiam § 20. Non omnes urbes civitatem accepisse notum est, erant sane quae foederis sui libertatem civitati anteferrent. — Verisimile videtur ut iis quae civitatem Romanam accipiebant leges suas retinere licuerit, quod quantopere sequitur ex more Romanorum praecipue apparet ex rescripto TRAJANI Imperatoris quod PLINIUS, (*Ep.* X, 114) nobis servavit ubi dicit: „Id quod semper tutissimum est sequendum cuiusque civitatis legem esse puto."

Saepius sane placita legum municipalium in Digestis memorantur v. g. l. 3, § 4 D *quod vi aut clam* (43.24) leg 21 § 7 ff *ad mun* (50.1) leg 1 § 2, 3 § 1, 18 § 27 D. *de mun. et hon.* (50.4).

[3]) LIVIUS, Lib. 9, Cap. 45. loquitur de civitate pro poena *necessaria.*

spernere potuisse populos illos neque tum legibus Romanis adstrictos fuisse [1]); leges denique Romanas dari simul cum civitate data easve non vigere ubi civitas sit recusata ex eo apparet quod apud veteres saepius civitas Romana opponatur legibus cuique populo propriis. [2])

Jam disputationem de municipiis in jure Romano absolvere possum; quo jure fuerint variis temporibus expositum est. Spero fore ut proficiant haec nobis ut alteram illam gravissimam quaestionem de jure ipsius Malacae et Salpensae recte solvere possimus.

---

[1]) Hernicis, v. g. licebat legere quid mallent civitatem aut suas leges.

[2]) Cf. Liv. Lib. 9, Cap. 45 l. in verbis: quum, quibus licuerit sc. Hernicis, suas leges Romanae civitati praeoptaverint. Cf. etiam verba eius in Capite 43. ubi legitur: „Hernicorum tribus populis, Alatrinati, Verulano, Ferentinati quia maluerunt quam civitatem, suae leges redditae."

PARS II.

DE JURE URBIUM MALACAE ET SALPENSAE.

Hispania jam tempore CAESARIS, uti videtur [1]), divisa erat in provincias tres, quarum una Lusitania, duae reliquae Hispania citerior et ulterior vel Baetica dicebantur. Postquam AUGUSTUS, Cantabris et Asturibus Romanorum ditioni subjectis, Hispaniam, magnam certe partem pacavit, provincias quas memoravi ita divisit ut Lusitaniam et Hispaniam citeriorem sibi sumpserit, ut essent provinciae Imperatoris, Baeticam vero Senatui reliquerit. Ratio quam sequebatur Imperator in divisione provinciarum ea fuit, uti regiones plane pacatas Senatui daret; sibi ipsi contra quae animum bellicosum perpetuo ostendebant, servaret [2]).

Inter provincias senatorias, quarum duae Africa et Asia erant consulares, caeterae praetoriae, etiam memoratur Bae-

---

1) Vid. CAESAR, *Bell. Civ.* Lib. I, Cap. 38.

2) Cf. LABOULAYE, in Opere: *Essai des lois Criminelles des Romains*, Paris 1845, p. 401; add. PUCHTA *Cursus der Institutionen*, Leipzig, 1845, I, p. 406.

tica [1]. Haec provincia ratione habita jurisdictionis dividebatur in quatuor conventus [2] multasque urbes opulentas continebat, inter quas a veteribus Malaca quoque memoratur.

Malaca, hodie Malaga, erat colonia Punica, quae jam tempore STRABONIS magno commercio gaudebat et florebat piscatione; STRABO multa salsamenta ibi confecta dicit [3]. Sitam fuisse Malacam MOMMSEN putat in conventu urbis Astigorum, cui opinioni favet, me judice, urbis propinquitas.

De historia Salpensae pauca tantum memoriae tradita sunt. Ex Plinio [4] nobis constat Salpensam sitam fuisse in provincia Baetica, in conventu Hispalis. Vulgaris opinio est eam non multum spatii abfuisse ab Utrera, quae finitima fuit urbi Sevillae [5].

De jure urbium Malacae et Salpensae pauca tantum apud veteres auctores occurrunt; ex iis tamen, quae memoriae tradiderunt, me judice, satis apparet eas jure Latinitatis gavisas fuisse.

PLINIUS, ubi urbes Hispaniae recenset [6], Malacam fuisse

---

1) Licet revera praetoriae sint plurimae senatus provinciae animadvertendum est eum qui provinciae tali praeest tamen proconsulem appellari; hunc titulum enim omnes prae se ferunt qui Senatoriis provinciis praesunt.

2) Hoc loco conventus dicuntur partes provinciae quod ad jurisdictionem attinet. Proconsul per provincias iter facere solebat, ut lites urbium dirimeret earumque negotia curaret. Pluribus de hac re agunt PUCHTA in *Op. l.* I, p. 254—256, addatur WALTER, *Geschichte des Römischen Rechts.* Bonn 1845, I, p. 279—281.

3) Cf. STRABO, *Rerum Geograph*, Lib. III, § 156. Idem patet ex inscriptione quam citat MOMMSEN, *Stadtrechte*, p. 388, not. 1.

4) *Hist. Nat.* III, 1, 14 ed. SILLIG, In nummis et inscriptionibus occurrit vox *Salpesa*, apud PLINIUM *l. l.* vulgo legebatur *Alpesa*, novissima editione tamen *Salpesa*.

5) Cf. MOMMSEN, *Stadtrechte*, p. 388, 389 not. 2.

6) *Hist. nat.* III, 1, 7.

civitatem foederatam narrat, quarum tres in Baetica fuerint. Quo foedere Romanis conjuncta fuerit neque ab eo traditur neque aliunde nobis notum est. Fuit igitur urbs foederata tempore AUGUSTI; constat enim PLINIUM huius Imperatoris aetatem descripsisse neque singularum rerum mutationis post eum rationem habuisse [1]). Sub VESPASIANO Imperatore mutationem juris Hispaniae accidisse idem auctor tradidit; scripsit enim [2]):

„VESPASIANUS universae Hispaniae jactatus procellis Latium tribuit," unde tuto concludere licet Imperatorem Malacae quoque jus illud tribuisse.

De Salpensa minus accurate PLINIUS locutus est; urbem sane memorat, quo jure tamen fuerit non addit, quam negligentiam supplere conantur viri docti variis conjecturis [3]). Cum autem nulla argumenta attulerint, res incerta manet. Quoquo vero antea jure fuit, cum VESPASIANUS toti Hispaniae ius Latii tribuerit, Salpensam etiam hoc beneficio affectam fuisse censeo.

Historico fundamento igitur MOMMSEN niti contendo cum Latini juris fuisse hasce urbes dicat [4]), quod quam recte conveniat cum legum ipsarum placitis postea apparebit. ZUMPT contra doctrinam illam secutus municipia nota fuisse nulla in Jure Romano nisi civium Romanorum, cum Mala-

---

1) Cf. ZUMPT, *Stud. Rom.* p. 312, et eundem auctorem jam antea in Opere: *Commentationum Epigraphicarum ad Antiquitates Romanas pertinentium* Volumen I, p. 198.

2) *Hist. Nat.* III, 3, 30.

3) MOMMSEN, *Stadtr.* p. 399 not. 21, conjecit Salpensam fuisse urbem stipendiariam cuius generis PLINIUS, l. l 120 in Hispania fuisse dicit, quas tamen non enumerat. ZUMPT, *Stud. Rom.* p. 319, contra proposuit eam foederatam fuisse.

4) Eidem sententiae favet quoque MOLINIER in *Comment. l.* p. 71.

cam et Salpensam et in legibus et alibi [1]) saepius municipia appellata videret, Latini juris fuisse urbes negavit [2]).

Tres imprimis causae eum prohibuerunt quominus sententiam, quam meam quoque esse dixi, amplecteretur. Eam ergo rejicit:

1°. quia, qui contendit municipia Latina fuisse, pugnare ei videtur cum omni antiquitate Romana,

2°. quia necesse non videtur ut ex ipsis legibus haec opinio deducatur,

3°. quia si Latinitatem a Vespasiano oblatam accepissent Malaca et Salpensa, quippe quae urbes foederatae essent, mutatio tantum foederis iis accidisset, non vero beneficium in eas collatum fuisset, quod fieri potuisse negat.

In animo est diligenter examinare quae auctor ille obiecit, praesertim quia nemo, quantum equidem scio, hoc argumentum consulto aggressus est.

Ad Imum. Negat ZUMPT nota fuisse ante tabulas nostras repertas municipia Latina. Ipsa vox „municipium Latinum" nusquam forte occurrit; nemo tamen, ut videtur, municipia, quae PAULUS DIACONUS civium Romanorum non fuisse docet, (inter quae revera urbes Latinae fuerunt: Lanuvium v. g). hoc

---

[1]) Cf. Inscriptiones quas citat MOMMSEN, quem vide quod attinet ad Malacam, p. 400, not. 23, quod ad Salpensam, p. 389 not. 2.

[2]) P. 31. Pauci sententiam vir cl. ZUMPT, secuti sunt, sc. cl. J. A. C. ROVERS in Commentatione quae prodiit in *Aanteekeningen der sectie voor Letterkunde en Wijsbegeerte van het prov. Utr. Genootschap van Kunsten en Wetenschappen*, anni 1860, cui nuper quoque assentitur Dr. M. VAN LIER in *Disquisitione de aere Salpensano et Malacitano* Trajecti ad Rhenum 1865. Ab horum vero virorum sententia explicanda prudens abstineo, cum uterque viri cl. ZUMPT vestigia fere presserit.

nomine appellari potuisse negabit. Urbes ergo fuerunt, quae quamvis Latinae essent municipia vocabantur. Praeterea quoque vestigia municipiorum Latinorum in auctoribus adesse puto; conjicere enim licet inter municipia fundana, de quibus sermo est in Capite ultimo legis Juliae municipalis municipia Latina fuisse. Necesse esse videtur ut addam quo fundamento haec conjectura nitatur.

Apparet ex lege Julia municipali a municipiis civium Romanorum distingui municipia fundana; quo nomine appellantur ea, quorum cives fundi facti sunt legum Romanarum. Ex iis autem quae supra jam disputavi, ubi lege Julia et Plautia Papiria omnibus Italiae oppidis civitatem Romanam oblatam esse indicavi, procul dubio sequitur omnia municipia civium Romanorum utpote quorum cives fundi facti sint legis illius, qua iis civitas data est, recte dici posse fundana; cum autem a municipiis civium Romanorum, uti in lege Julia municipali, distinguantur municipia fundana, apparet ea sane non eodem modo appellari fundana quo caetera ita appellari potuissent. Si porro teneamus municipia civium Romanorum per se lege a populo Romano lata adstricta esse ita ut non opus sit ut fundi fiant cives in talem legem, me judice qua sententia municipia in lege Julia fundana vocata sint in oculos incurrit; ibi enim spectari videtur ad ea municipia quae nisi eas acciperent legibus Romanis non tenerentur.

De municipiis denique credo illo loco agi quae non sint civium Romanorum; inter ea Latina *fuisse possunt* et quamvis certo statui nequeat, nemo, adhibito lumine harum tabularum, quin fuerint, dubitabit [1]).

[1]) Pluribus de municipiis fundanis egerunt. F. ROTH in Opere: *De re municipali Romanorum*, Stuttgart 1801, p. 10—12 et C. W. GÖTTLING in Opere:

Praeterea ZUMPT ut suam sententiam firmaret, nonnullos locos PLINII citavit [1]), ubi auctor urbes Hispaniae resenset et juxta municipia civium Romanorum oppida Latio antiquitus donata memorat [2]). PLINIO auctoritatem magnam tribuit, quippe qui Hispanicorum monumentorum paene aequalis fuerit. Quodcunque tamen pretium tribuendum est illi PLINII testimonio falsa procul dubio est conclusio viri cl. ZUMPT [3]), cum inde efficit auctorem civitatem Romanam adscribere municipiis omnibus ideoque et nostris tempore DOMITIANI, nam verba PLINII nihil docent de tempore DOMITIANI, quo vixit, quia, ut jam monui, aetatem AUGUSTI describit. Hisce disputatis saltem hoc affirmare licebit virum cl. ZUMPT latius quam par sit progressum esse dicentem pugnare cum omni Antiquitate Romana qui nostras urbes Latinas vocet.

Ad II^{um}. Ipsa legum verba quoque postulare videntur ut municipia nostra Latina dicantur; quod negat ZUMPT, quamvis ipse auctor legis verba talem explicationem admittere concedat, imo optime ita dici (sc. uti in lege dictum est) si omnes municipes fuerint Latini juris. Citat legis Salpensanae Capita 28, 29, legis Malacitanae Caput 54 ubi Latinis praecepta dantur; addi potuisset locus ex lege Salpensana, ubi in Capite 25, quo de jure praefecti a II viro relicti agitur, ita cautum est: „Ei qui ita praefectus relictus erit donec in id municipium alteruter ex II viris adierit, in omnibus rebus id jus

Funfzehn Römische Urkunden auf Erz und Stein, Halle 1845, p. 64. 65. Cf. quoque MOMMSEN, *Stadtrechte*, p. 409 not. 45.

1) Vid. *Stud. Rom.* p. 274, 75 cf. de iisdem locis: I. N. MADVIG in *Opusculis Academicis*, Hauniae 1834, p. 292, 293.

2) Monendum videtur PLINIUM dicentem „oppida Latio antiquitus donata" ea opponere oppidis quae suo tempore Latinitatem a VESPASIANO accipiebant.

3) *Stud. Rom.* p. 297.

eaque potestas esto praeterquam de praefecto relinquendo et de civitate Romana consequenda, quod jus quaeque potestas hac lege IIviris qui juri dicundo praeerunt datur" [1]). Ex hac clausula apparet IIviratu saltem gerendo civitatem consequi potuisse Salpensanos; cum autem constet in civitatibus tantum Latinis magistratu gerendo civitatem acquiri [2]), ex hoc legis Capite probabiliter sequi videtur, Salpensam certe Latinitate esse usam.

Sufficerent fortasse ad opinionem meam de jure urbium nostrarum commendandam ipsa legis verba, quippe quae secundum ipsum ZUMPT talem explicationem permittant; magnopere vero firmatur sententia illa eo quod in legibus de republica Malacitana et Salpensana latis, quas leges municipales esse novimus, prorsus nullum invenitur praeceptum municipibus civibus Romanis datum; neque objiciatur ad eos legem Juliam municipalem pertinere, nam complura capita eius legis ad oppida tantum quae in Italia essent spectare notissima res est.

Ad III^um^. Superest denique ut ostendam prorsus errare auctorem contendentem Malacam et Salpensam urbes foederatas, si accepissent Latinitatem, nullo beneficio affectas fuisse; imo mutationem tantum foederis susceptam fuisse, qua disputatione nixus ZUMPT profitetur VESPASIANUM Latinitatem urbibus nostris obtulisse, has illam tamen sprevisse. Si autem probare

[1]) Hoc primum loco verba legum laudans, animadverto me editionem sequi MOMMSENI in additamento Operis: *Stadtrechte*; itaque ubi ab eo discedo, notabo.

[2]) Vid. verba ASCONII ad CICERONEM *in Pisonem* cap. 3 ubi de CN. POMPEIO tai loquitur: „Veteribus incolis ius dedit Latii, ut possent habere jus, quod ceterae Latinae coloniae, id est, ut gerendo magistratus civitatem Romanam adipiscerentur." cf. APPIANUM, *de Bello Civ.* II. 26, qui de hoc jure dicit: „*τόδε γὰρ ἰσχύει τὸ Λάτιον.*"

possim, non mutationem tantum foederis fuisse, si urbes nostrae acceperint Latinitatem, imo hoc jure concesso, in eas beneficium collatum fuisse, fundamento carebit auctoris asseveratio, eas Latinitate, quam toti Hispaniae VESPASIANUM tribuisse PLINIUS scripserit, usas non esse; quod igitur probare conabor.

Ad hanc quaestionem recte dijudicandam necesse est ut statuatur, quomodo differat civitas juris Latii a civitate foederata; uti vero de hoc jure recte statuamus, quod tractu temporis magnopere mutatum est, ut illam jam ab origine repetamus et ad Caesarum usque tempora paucis persequamur oportebit.

Primis temporibus imperii, Romani omnes homines dicebant aut cives Romanos aut peregrinos, inter quos etiam erant Latini [1]). Qui autem dicebantur Latini? Ii qui Latium incolebant, regionem illam Romanae ditioni vicinam. Jam pridem horum urbes 30 foedus inierant cuius caput erat Alba Longa; non ita tamen multo post Roma aemula, metuens ne magnitudo foederis sibi damnosa fieret, Albae bellum indixit, quod vero jam sub rege TULLO conficiebatur; postea saepius bellum inter eos exortum est, sub TARQUINIO denique Romae principatum Latium agnoscere debebat, Romaque caput foederis facta est. Post reges exactos cum Roma a PORSENNA ad angustias redigeretur, hac opportunitate usi sunt Latini, ut semet ipsi ab imperio Romano liberarent. Iterum bellum movere coeperunt; pugna apud lacum Regillum tamen victi libenter foedus a Romanis oblatum acceperunt. Ex hoc autem foedere meliores rationes his quam ceteris sociis cum Romani inter-

[1]) GAIUS, *Inst.* I § 79, de his Latinis dicit: „et erant peregrinorum numero."

cesserunt; substitit illud usque ad bellum Latinum, quo finito Latini prorsus erant oppressi.

Cum sensim paulatimque Roma totam Italiam suo imperio subjiceret coloniasque in omnes Italiae partes deduceret, hisce nonnumquam civitatem, saepius tamen jus dedit quo fuerunt socii Latini.

Medio saeculo septimo socii Italici civitatem postulabant suasque partes in republica administranda. Roma negante, anno 89 bellum Sociale indixerunt socii, quo Romani re vera ad incitas redigebantur. Hi autem qua calliditate semper usi sunt secuti doctrinam suam: „Divide et impera," iis gentibus, quae fidem erga se servaverant statim civitatem Romanam donabant et bello finito, per legem Juliam omnibus Italicis, paucis exceptis, civitatem concedebant. Post hanc legem, quam paulo post secuta est lex Plautia Papiria, socii Latini in Italia esse desierunt. Cum autem Latinitas illa quae ante fuerat, quae cohaerebat cum certa regione, sive jus illud populorum, exstinctum esset, de foedere Latino non amplius sermo esse poterat. [1])

Jus Latii vero, quod post hanc legem memoratur, [2]) est status personarum, uti ex GAIO et ULPIANO perspicue apparet; apud illos enim Ictos videmus non amplius ita dividi homines

---

[1]) Scio me tantum obiter foederis Latini mentionem fecisse; uberior de hoc argumento disputatio instituti ratione requiri non videtur; in animo erat ostendere aliquando foedus Latinum exstitisse, jam diu tamen ante Caesarum tempora exstinctum fuisse. Plura de illo foedere habent TRESLING in *Diss.* p. 35—49. WALTER in *op l.* I. p. 90—96, p. 305—310 quibus addi meretur PUCHTA in *Op. l.* p. 232—250.

[2]) De ortu huius Latinitatis multum disputatum est. Propriam de hac causa sententiam vir cl. v. SAVIGNY protulit (in Commentatione quam operi suo *Vermischte Schriften* I p. 14—28 inseruit) quam paucis referre liceat. In explicando hoc jure praesertim nititur loco CICERONIS *pro Caecina* Cap. 35 ubi dicit: „Sulla ipse ita tulit de civitate (Volaterrae sc. de hac enim urbe agitur)

ut sint cives Romani aut peregrini, sed jus Latinorum a jure peregrinorum fere ubique distinguitur [1]).

In hac re conveniunt peregrini cum Latinis quod non habent connubium, nisi concessum sit [2]).

In eo autem magnopere differunt a Latinis quod hi commercio fruuntur, quod complectitur testamenti factionem tam activam quam passivam secundum juris civilis Romani praecepta; illi vero non utuntur commercio nisi peculiari concessione [3]). Hisce expositis dubitari non posse videtur, quin Latinitas aliud quid fuerit ante legem Juliam, aliud quid post eam, Latinosque inde ab illo tempore magnopere differre a peregrinis.

Disputationis finis erat ut ostenderem ZUMPT in errore versari contendentem foederis mutationem tantum factam fuisse, si Malacam, civitatem foederatam, cuius cives uterentur peregrinorum jure, Latinitatem a VESPASIANO accepisse appareret.

---

ut non sustulerit horum nexa atque hereditates; jubet enim eodem jure esse quo fuerint Ariminenses quos quis ignorat XII coloniarum fuisse et a civibus Romanis hereditates capere posse." Contendit SAVIGNY CICERONEM hoc loco respexisse ad historiam quam LIVIUS refert Lib. 27, Cap. 10, ubi narrat ex XXX coloniis Latinis quae Romanis obtemperabant XII tempore bellorum Punicorum militiam detrectasse, reliquas XIIX eam professas esse; LIVIUS addit illus punitas, has contra laudatas esse. Jus duodecim coloniarum, de quo CICERO loquitur, tum fidelibus illis praemii loco datum esse conjecit. Cogitur tamen pro numero XII quem omnia manuscripta referunt, apud CICERONEM legere XIIX praetereaque conjicere Romanos illis coloniis commercium dedisse. Cum autem nusquam de praemio qualicunque dato ex historia docti simus (cf. MADVIG *in Op l.* p. 283; refutatio viri cl. SAVIGNY *Verm. Schriften* III p. 301 302 not. mihi non persuasit) et mutatio numeri idoneo fundamento niti non videatur, conjecturae quam SAVIGNY proposuit plane acquiescere non possum. Concentum quem voluit inter LIVII et CICERONIS testimonium non adesse puto, sed verisimile videtur illud jus recentius Latii originem debere huic peculiari XII coloniarum juri. Quando jus Latii vocari coeptum sit jus illud coloniarum eleganter conjecit TRESLING in *Diss. l* p. 53. cf etiam de hoc argumento C. A. VON VANGEROW in Opere: *Die Latini Juniani* Leipzig 1833 p. 97. 98.

1) Opponuntur Latini peregrinis a GAIO I. § 67. cf. ULPIANUM Tit. 7 § 4.

2) Vid. ULPIANUM, Tit 5. § 4 cf § 9 et GAIUM. 1 § 56.

3) Vid. ULPIANUM, Tit 11. § 19 § 4 Tit 20 § 8.

Apparuit nullum ex argumentis quae attulerit ZUMPT tanti momenti esse ut ab opinione mea, quam historia niti arbitror recedere cogar; paucis etiam nunc sententiam quam ZUMPT proposuit: nostra municipia civitatem Romanam habuisse refutare placet.

In legibus Malacitana et Salpensana quamvis non diserte civibus Romanis praecepta dentur, revera nonnulli loci inveniuntur ex quibus effici potest eos in municipiis fuisse, nam memorantur in lege Salpensana (Cap. 22, 23) edicta VESPASIANI et DOMITIANI, ex quibus Salpensani consequi possent civitatem. Praeterea in Capite 28 eiusdem legis agitur de municipe *qui Latinus erit*, quibus ex verbis additis, me judice, probabiliter sequitur etiam municipes cives Romanos Salpensae fuisse; quod certius etiam apparet ex postremis verbis Capitis 21 legis Salp. „dumne plures cives Romani sint quam quod ex hac lege magistratus creare oportet." *Memorantur* ergo cives in legibus [1]; teneamus tamen nihil esse quod probet in *eorum* quoque *usum* leges esse datas. Nihilominus ZUMPT contendit municipia civitate usa esse Romana. Quonam fundamento nititur haec ratiocinatio? Memorantur in lege Salpensana, ut obiter jam monui, duo edicta, ex quibus nonnulli civitatem consequi posse dicuntur; edicto DOMITIANI Salpensanos, certe majorem partem eorum, illo jure donatos esse praedicavit. Animadvertendum vero est, eos quibus in illa legis parte facultas civitatis acquirendae tribuatur hoc privilegium debere tam edicto VESPASIANI quam DOMITIANI, ita ut contendere oportuisset jam ex edicto VESPASIANI civitatem consecutos fuisse,

---

[1]) Satis mirum videtur ZUMPT hoc negare in verbis: „Si initia certe legum ad nos pervenissent certa invenirentur testimonia, quae cives Romanos in illis municipiis fuisse ostenderent; nunc nullum est." *Stud. Rom.* p. 278.

quod tamen prorsus negavit [1]), imo addidit edicto VESPASIANUM frustra municipiis Latinitatem obtulisse, edictum ergo quod in lege Salpensana memoretur, idem esse proclamat atque illud quo PLINIUS narret Imperatorem universae Hispaniae Latium tribuisse. [2]) Cum tamen ex variis legum placitis satis appareret Latinos Malacae Salpensaeque fuisse, neque explicare posset ZUMPT quo modo fieri posset ut ibi invenirentur, cum Latinitatem recusasse hasce urbes dixisset, contendit quod alibi forte factum sit, in municipiis quoque nostris locum habuisse: scilicet gentes quasdam iis attributas fuisse, quas, VESPASIANO Hispaniae Latinitatem offerente, licet maior civium pars spreverit, libenter eam accepisse refert. Dolendum est hanc disputationem quamvis bene excogitatam omni historico fundamento carere; nam „attributorum," ut verbis utar viri cl. RUDORFF, [3]) „municipiis Flaviis [4]) populorum, nulla in quoquam monumento nec vola, quod sciam, nec vestigium exstat."

Jam vero attendas ad edictum illud DOMITIANI quo Salpensanos civitatem consecutos esse voluit ZUMPT. Improbabilis jam haec asseveratio videbitur, si teneamus hasce leges *Latinis* datas esse; accedit vero, locum ubi in lege edicta memorentur aliam me judice explicationem postulare. Re vera in Capite 22 en 23 legis Salp. de civitate consequenda ex edicto DOMITIANI agi-

---

[1]) Vid. Auct. in *Op. laud.* p. 320. Itaque, ut obiter afferam, plane pugnat eius opinio cum ipsis legis verbis. Vid. caput 22 et 23 legis Salp.

[2]) *Stud. Rom.* p. 310. Quod verisimile esse ego quoque arbitror; attamen non constat, nam nescimus num VESPASIANUS *edicto* Latinitatem Hispaniae tribuerit.

[3]) Recte municipia dicuntur Flavia tam in ipsis legibus (vid legis Salpensanae Capita 28, 29. legis Malacitanae Capita 59, 61, 62, 64. cet.) quam alibi; hoc enim cognomine utuntur, uti alia complura, quia TITUS FLAVIUS VESPASIANUS iis Latinitatem tribuerat.

[4]) Vid auctorem in Disputatione Critica: *De majore ac minore Latio ad Gaium* I, § 95, 96 Berolini 1860 p. 19.

tur (quod VESPASIANI quoque in edicto fuisse jam monui); verumtamen cum Caput proxime antecedens (21) loquatur de magistratibus creandis et constet ex Cap. 25 Salpensanos magistratu gerendo civitatem consequi potuisse; in iis vero capitibus quae proxime sequantur caput 21 sermo sit de iis qui civitatem adipiscantur, puto in edictis de iis actum esse qui magistratu gerendo civitatem acquisiverint [1]), ita ut ex iis parvus tantum numerus quotannis civitate augeretur. Itaque neque in hac causa ZUMPT veritatem attigit; errorum autem causam primariam esse puto, quod ab iis quae in historia traduntur nimis recedat; illis enim si nitimur omnia recte sese habent. Tum vero, Latio a VESPASIANO universae Hispaniae tributo, id quoque Malacam et Salpensam accepisse dicendum est, nulla enim causa inveniri potest, cur urbes illae jus Latii oblatum sprevissent, quocum optime convenit *Latinis* has leges municipales dari; tum ea quoque, quae ZUMPT explicare non potuit, explicata jam sunt: qui enim Latini inveniuntur in municipiis nostris jus illud debent edicto VESPASIANI, quo Latinitatem Hispaniae tribuit; qui cives Romani ibi occurrunt hoc jure potiti sunt magistratu gerendo, quod jus Latinis civitatibus proprium fuisse constat.

Denique, monumentis Hispanicis repertis, cum Malacam Salpensamque jure Latino uti et municipia ibi appellari videamus, contendere oportet exempla luculenta municipiorum Latinorum exstare.

---

[1]) Plura de edictis disputabo, ubi agam de jure Malacitanorum et Salpensanorum civitatis acquirendae magistratu gerendo, non tantum sibi solis sed parentibus quoque et liberis.

PARS III.

DE JURE PUBLICO MUNICIPIORUM SALPENSAE ET MALACAE.

Praemonendum est omnia fere instituta juris publici quae tam in municipiis in universum, quam Malacae Salpensaeque vigebant introducta atque ordinata fuisse secundum ea quae Romae, in communi patria deprehendere solemus, ita ut de municipiis praedicare liceat, quod GELLIUS [1]) ratione habita coloniarum statuit, ea „quasi effigies parvas simulacraque populi Romani" esse.

Verum probatur hoc ipsis legibus Flaviis, quae docent eandem potestatum distributionem Salpensae et Malacae ac Romae invaluisse; distinguuntur enim in monumentis: populus, senatus et magistratus. Singula illa instituta hoc loco examinare volo, qua ex disputatione apparebit multa jura quae Romae, florente republica, populo competiverint, sub Imperatore DOMITIANO etiam in municipiis Flaviis fuisse servata.

---

[1] *Noct. Att.* Lib. 16, Cap 13.

CAPUT I.

DE POPULO.

Ex iis quae supra disputata sunt jam apparuit non omnes qui Salpensae et Malacae degerint iisdem juribus usos esse; differebant enim illa prouti quis esset civis Romanus vel Latinus; discrimen illud tamen praesertim ad jus privatum spectabat.

Neque tamen omnes qui Malacae Salpensaeque habitant iisdem juribus fruuntur publicis; ita ut illorum ratione habita populi partes duae distinguantur; alii enim sunt municipes alii sunt incolae; antequam igitur expono quibus usus sit juribus populus in municipiis, paucis de partibus ex quibus constabat dicendum videtur.

Saepius municipes iuxta incolas memorantur [1]), unde jam apparet eandem condicionem illis verbis non designari; utraque tamen voce vinculum quoddam indicari inter eos qui illo nomine vocentur et certam urbem dubio caret. Multum jam illi inter se differunt si attendas ad modos prorsus diversos quibus fiunt municipes aut incolae; eo spectat constitutio DIOCLETIANI et MAXIMIANI [2]), ubi legitur: „Cives quidem origo, manumissio, allectio vel adoptio [3]); incolas vero domicilium facit" [4]). Municipes, si latiore sensu haec vox accipiatur, sunt cives cuiuscunque civitatis extra Romam [5]); sensu

[1]) Vid. Cap. 69 leg. Mal. et leg. 4 Cod. *de incolis.* (10.39); leg. 1 et 7 Cod. *de munic. et origin.* (10.38). cf. quoque *Inscriptiones* ORELLI n⁰. 3705. 3707.

[2]) In lege 7. Cod. *de incolis et ubi quis* (10.39).

[3]) Ut singula illa persequar, pro instituti ratione non requiritur; fuse de hoc argumento agunt v. SAVIGNY in Opere: *System des heutigen Römischen Rechts*, Berlin 1849, Tom 8 p. 46—49 et DUBOIS in *Op. l.* p. 66, 67.

[4]) Idem docetur in lege 1 pr. et § 1. D. *ad mun. et de inc.* (50.1) cf. quoque leg. 27 § 2 et 35. D. *eiusdem Tit.*

[5]) Vid. leg. 2, 7 pr. 9. D. *quod cujusque univers.* (3.4).

tamen vulgari — quo dicuntur etiam loco laudato [1]) — municipes sunt cives municipii; incolae vero ne dicantur etiam ii qui aliquamdiu in civitate aliqua commorentur facit distinctio incolarum et adventorum, uti etiam apud Graecos distinguebantur οἱ κατοικοῦντες qui sunt incolae ab iis qui dicebantur παρεπιδημοῦντες sive adventores vel hospites. Etiam qui studii causa alicubi moratur non existimatur esse incola [2]) imo ne ille quidem qui possessiones habet in aliqua regione, nam sola possessio incolam non facit [3]) neque omnino possessio requiritur ut quis sit incola [4]). Incola enim is tantum habetur jure Romano qui libera voluntate sua sponte se aliquo contulerit co animo ut ibi perpetuo maneat [5]), sive aliis verbis: incolas facit domicilium ubicumque voluerint constitutum [6]). Duobus locis aliquem incolam fieri potuisse a veteribus satis perspicue docemur [7]).

Jam scimus ex quibus partibus populus in municipiis vulgo et in Flaviis quoque constiterit; [8]) nunc examinandum qua

---

[1]) De significatione vocis „municeps" posteriori tempore quum ita decuriones saepius appellabantur non disputo; vid. Dr. E. KUHN, in Opere: *Die Städtische und bürgerliche Verfassung des Römischen Reichs bis auf die Zeiten Justinians*, Leipzig 1864 p. 254.

[2]) Vid. leg. 2 Cod. *de inc. et ubi quis* (1039). In lege 8 Cod. *eiusd. Tit* numero incolarum etiam eximuntur qui propter alias causas in territorio civitatis alicuius degunt.

[3]) Vid. leg. 17 § 5 et 18. D. *ad mun* (50.1) cf. leg. 4 Cod *de incolis et ubi quis* (10.39).

[4]) Leg. 239 § 2 D. *de Verb. Sign.* (50.16).

[5]) Cf. leg. 27 § 2. D. *ad mun.* Non obstare videtur lex. 17 § 11 D. *eiusd. Tit.*

[6]) Vid. leg. 20 et 31 D. *ad mun.*

[7]) Vid. leg. 27 § 2 D. *ad mun laud* et leg. 5.6 D. *eiusd Tit.*

[8]) Cf. quoque de hoc argumento Dr. V. LIER in Opusc. *Beschouwingen*, p. 32—38. Ex iis quae disputat p. 36 ubi premit juris differentiam *municipum* prouti sint cives Romani vel Latini efficere licet idem juris discrimen non spectare ad incolas. Quod si revera voluerit auctor pugnat cum lege Malacitana (Cap. 53) ubi contrarium docetur.

potestate utatur populus in republica Malacitana et Salpensana, ubi singillatim addam, qua in re municipes ab incolis differant.

Vixdum ipsarum legum explicationem aggressus sum cum statim jam persentiam quantopere dolendum sit tabulas non integras ad nos pervenisse[1]), caeteroquin plura de jure publico municipum nobis innotuissent, quae nunc divinanda relinquuntur. Gaudeo tamen ratione huius argumenti nonnulla in parte superstiti legum adesse, quae eadem, ut videtur, sunt summi momenti.

Tempore DOMITIANI etiam populum in urbibus nostris, (ideoque probabiliter quoque in aliis municipiis Latinis) jus suffragii in comitiis habuisse ex legibus constat [2]). Quod hanc ob causam tanti faciendum est, quia communis virorum doctorum ante legem Malacitanam repertam sententia fuit [3]): paulo post quam

---

[1]) Legis Salpensanae tantum Capita 21—29, legis Malacitanae tantum Capita 51—69 supersunt. [2]) Vid *leg. Mal.* Cap. 51—61.

[3]) Vid W. A. BECKER — MARQUARDT in Opere: *Handbuch der Römischen Altherthümer*. III. 1. p. 349 Leipzig 1851. PUCHTA in *Op. l.* I. p, 397. WALTER in *Op. l.* I. p. 285. v. SAVIGNY in Opere *Geschichte des Römischen Rechts im Mittelalter*. Heidelberg 1834. I. p. 45. ZUMPT in *Comment. Epigraph.* I p. 60, 61 cf. p. 115.

Idem contendere pergit post hasce tabulas repertas (anno 1859) LOUIS QUINION in opere: *„Du municipe romain, de la commune au moyen âge et de la municipalité moderne."* Quamvis hoc opus nonnisi titulo mihi notum sit, auctoris opinio de hac causa mihi innotuit ex operis censura quae exstat in diario Juridico, quod inscribitur *Revue historique du droit français et étranger* anno 1861. vid. p. 78.

MOMMSEN, ut hoc addam, (*Stadtrechte* p. 411 not 49) de hoc argumento verba faciens adjicit: „Das rechte sah Philippi." Idem non puto; hic enim summatim communem interpretum sententiam tueri videtur. Dicit enim (in commentatione quam inseruit Diario *„Das Rheinische Museum für Philologie* anno 1853. Tom VIII. p. 510) postquam communem illam sententiam exposuit: „Ich halte diese Ansicht im Allgemeinen für richtig, insofern sie letzterem (Senat) den legalen Beschlusz, das decretum beilegt und eigentliche Comitiën nicht mehr stattfinden läszt." Melius hac lege edoctus KUHN in *Op. l.* p. 238, 239 et verbo GASTON BOISSIER in commentatione: *Pompéi. La vie de Province dans l'Empire Romain"* quae invenitur in Diario: *Revue des deux Mondes* 1 Avril 1866. p. 550 sqq., imprimis p. 576 et 577.

Romae factum sit[1]), etiam in municipiis facultatem magistratuum creandorum a comitiis ad decuriones transiisse; contrarium nunc ex monumentis Hispanicis apparet[2]).

Tum municipes tum incolae habent jus suffragii; magistratus suos in comitiis eligunt; alio modo tamen jus illud exercent municipes, alio rursus incolae.

Ex placitis nonnullis ubi de creatione magistratuum agitur[3]), discimus *municipes* Malacae in curias distributos fuisse; de ipsa distributione curiarum nonnulla in lege praescripta erant, uti apparet ex Capite 52 legis Mal., ubi legitur: „utique ex distributione curiarum *de qua supra comprehensum est* suffragia ferre debebunt, ita per tabellam ferantur facito" (sc. II vir); locus tamen, ubi de hac re cautum erat, in monumentis non superest. Ex alia legis parte (Cap. 57 legis Mal.) discimus certum numerum curiarum Malacae affuisse; ibi enim verba leguntur: „uti quisque prior maiorem partem numeri curiarum confecerit";[4]) quis tamen fuerit numerus ille iterum nos nescire dolemus; curias illas nominibus suis indicatas fuisse ex eodem Capite 57 apparet, ubi initio verba occurrunt „IIvir *nomina* curiarum in sortem conjicito" quod etiam in antiquis curiis et tribubus Romae locum habuisse constat[5]).

---

1) Vid supra *Diss.* p. 10.

2) Non obstant verba Capitis 24 *legis Salp*, ubi legitur: Si eius municipii decuriones conscriptive municipesve Imperatori Caesari DOMITIANO Augusto Patri patriae IIviratum communi nomine municipum eius municipii detulerint." II viratus secundum haec videri posset a *decurionibus* Imperatori deferri; revera tamen decurionibus cura hoc loco injungitur, ut Imperatorem de creatione a populo facta certiorem faciant. cf MOMMSEN *Stadtrechte* p. 410, not. 48.

3) Vid Cap. 52. 53. 55. 56. 57. *legis Mal.*

4) Cf. etiam Cap 59. *legis Mal.*

5) Curia Foriensis, Rapta, Veliensis memoratur apud FESTUM de *Verb. Sign.* ed. MÜLLER, p. 174; Faucia apud LIVIUM 9.38; nomina tribuum quoque saepius occurrunt v. g. apud LIVIUM 6, 5; 8. 17; 9, 20; 10, 9.

Quo sensu in legibus municipalibus memorantur curiae? Sunt qui contendant cum Romae antiquissimo tempore curiarum mentio fiat, tales etiam has curias fuisse[1]); alii tantum nomen differre, curiasque in lege nostra aequiparandas esse putaverunt tribubus Romanis[2]). Probabiliorem duco *horum* sententiam quod pleraque instituta horum municipiorum ut videbimus ordinata fuerunt secundum illa quae Romae valebant florente republica, quo tempore curiarum illarum institutum jam antiquatum erat.

Distributio municipum in curias magni momenti erat ratione habita electionum, huius loci tamen non est inquirere in modum quo suffragia ferebantur; aptius illa, ubi de magistratuum potestate comitiorum habendorum agam, inseri poterint.

Incolae non item per omnes curias divisi erant; alio modo suffragia ferunt, qua de re docemur ipsa lege Malacitana. Ex Capite enim 53 apparet incolas qui cives Romani vel Latini essent *in una curia* suffragia tulisse: verba legis enim sunt: „Quicumque in eo municipio comitia IIviris, item aedilibus, item quaestoribus habebit ex curiis sorte ducito unam, in qua incolae qui cives Romani Latinive cives[3])

---

1) Ita MOMMSEN *Stadtr.* p. 409.10 et DUBOIS in *Op l.* p. 77.

2) Huic opinioni favent LABOULAYE in Opere *Les tables* etc. p. 39 not 7 et H. DERNBURG in commentatione quam inseruit in Diario „*Kritische Zeitschrift für die gesammte Rechtswissenschaft*, Heidelberg 1856, ubi recensuit Opus laud. viri cl. MOMMSEN vid. ibid, p. 77.

3) Hoc loco attendendum est ad errorem viri cl. LABOULAYE, qui cum incolas Latinos „cives Latinos" appellari videret, exclamat (in Opere *les Tables*, p. 40, not. 9): „Dans la bonne Latinité civis Latinus est une expression impossible. En droit civis Latinus sont deux mots qui jurent l'un avec l'autre, car le Latinus est l'opposé du civis." Sufficeret tamen ad legis auctorem omni culpa liberandum ut animum attenderemus ad locum GELLII, in *Noct. Att.* Ibi enim in Lib. 18 Cap. 7, Jctus agit de libro Verrii Flacci et addit „in quo scripta ad hoc genus quaestionis pertinentia haec fuerunt: „„civitatem „„dici et pro loco et pro oppido et pro jure quoque omnium et pro hominum

erunt suffragium ferant, iisque in ea curia suffragii latio esto." Non omnes igitur incolae Malacae jure suffragii gaudent; tantum hi qui cives Romani sunt vel Latini [1]. Antequam explico qua ratione jure illo usi sint, pauca dicenda videntur de opinione vir. cl. ZUMPT, qui incolis in aliis municipiis, imo Salpensanis quoque jus suffragii negavit [2]. Certum quid sane in hac causa statui nequit propter fontium tenuitatem, tamen quia tributum iis fuisse nescimus, negare non auderem, neque mihi persuaserunt argumenta ab eo allata; dicit enim auctor: „si omnino illud cum civitate aut Latinitate conjunctum fuisset ut ea qui uterentur in omnibus municipiis ad suffragia ferenda admitterentur, nec proprie hac lege sanciri opus fuisset et ad dissolvendas respublicas pertinuisset." Primum eius argumentum magni momenti non videtur, nam etiamsi in omnibus municipiis jus suffragii concessum fuerit incolis, tamen de modo quo Malacae incolae suffragia ferre debeant nostra lex recte statuere potest. Neque video, quare ad dissolvendas

„„multitudine."" Haec jam sufficerent, me judice; quidni autem, quaerere liceat, civis Latinus dici potest is qui municeps est Latinus vel civis (uti legitur in lege 7 Cod. *de inc. et ubi quis* (10, 39), cf. etiam leg. 1 § 1 D. *ad munic.* (50, 1)) in municipio Latino? (LABOULAYE non contendit *incolam* „civem Latinum" dici non posse — quod attendendum — sed usum vocis „civis" pro Latino simpliciter reprehendit). Quae cum ita sint non facio cum ZUMPT (*Stud. Rom.* p. 361) qui „cives Latini" in lege occurrere putat vitio sculptoris sed idem significare arbitror ac „civis ex Latio", ut SALLUSTIUS loquitur (*de Bello Jugurthino* Cap. 69). Cf. ad hunc locum R. JACOBS, qui SALLUSTII opus edidit Berolini 1855, in not. 4; addatur RUDORFF, in *Disp. Crit.* p. 16.

[1]) Animadvertendum est hoc loco si meam opinionem de jure horum municipiorum amplectaris facile esse intellectu incolis Latinis jus suffragii concessum fuisse, quoniam urbes eodem jure Latinitatis gauderent; neque cives Romanos jure illo usos esse, quippe qui meliore jure uterentur, mirum esse potest; difficilius est viro cl. ZUMPT, cum contendat haec municipia fuisse civium Romanorum, explicare quare *Latinis* incolis suffragium ferre licuerit.

[2]) *Stud. Rom.* p. 283, 284.

respublicas pertinuisset si Malacae, imo in omnibus municipiis jus suffragii iis concessum fuisset qui domicilium ibi constituissent, quamvis cives municipii non essent; denique omnino conjunctum fuisse jus suffragii cum civitate vel Latinitate ita ut qui ea uterentur in *omnibus* municipiis suffragia ferre potuissent, frustra ZUMPT ex lege Malacitana colligere conatus est; tantum enim in hoc Capite civibus Romanis et Latinis jus illud tribuitur in illo municipio ubi incolae sunt. Redit igitur eo mea disputatio, ut quod Malacae juris fuisse noverimus aliis quoque municipiis, imo Salpensae saltem recusare nolim.

Quamvis autem incolae in municipio Malacitano aeque ac cives habeant jus suffragii, eodem tamen modo jure illo non usos esse videmus. Antequam municipes ad suffragia ferenda vocabantur, uti postea exponetur, una curia sorte indicabatur, ubi incolae suffragia ferre possent. Tale quid Romae quoque usu venisse LIVIUS memoriae tradidit, qui docet [1] „a tribunis sitellam allatam esse ut sortirentur ubi Latini suffragium ferrent."

Itaque in *una* tribu Latini Romae, in *una* curia incolae cives Romani Latinive Malacae suffragium ferebant; neque difficile videtur respondere quaestioni, quare huiusmodi suffragii latio iis praescripta fuerit; eo consilio enim invaluisse puto ut voluntas eorum cognosceretur, iidem tamen in republica nihil valerent.

Cum jure suffragii arcte cohaeret jus honorum qua de re hoc loco pauca dicenda sunt. Municipes jure honorum gaudebant; non tamen omnes — nam uti ex illa legis parte appa-

---

[1] Lib. 25, Cap. 3.

rebit, ubi de magistratibus agitur, diversa in eorum personis, qui magistratum petunt, requiruntur.

Quae disputatio cum magis apta futura sit ubi de magistratibus sermo erit, potius inquiram in effectus honorum gerendorum; antequam tamen de jure quo aucti sint municipes Latini, qui magistratum gesserant, disputo, attingere liceat quaestionem, utrum incolae Malacae et Salpensae jus honorum habuerint necne. De hac re ex lege Malacitana, quae modo ingenuis jus illud tribuit, quibus autem ingenuis competierit non addit, nihil constare potest.

Mirum sane non fuisset, iis jus honorum concessum fuisse, cum postea illud juris fuisse appareat, pluraque exempla, honorum incolis mandatorum adsint [1]).

Zumpt, ut obiter moneam, Salpensae certe, incolas jus illud habuisse arbitratur, quod saltem efficio ex verbis quibus Caput 21 legis Salpensanae, quod ab initio est mancum, restituit; quaerit enim [2]): „Nonne sic fere esse poterat? Incolarum, qui Latini erunt, comitiis ratio haberi poterit, si in municipium Flavium Salpensanum abierint cum parentibus cet." Quam ob rem hanc restitutionem rejiciendam esse putem, paulo post indicabo; hoc loco tamen addere volo, mirum videri, illam profectam esse a viro cl. zumpt, ab eodem auctore, qui paulo ante [3]) scripsit: „Sic igitur de Malacitanorum Salpensanorumque incolis statuemus eos, quamvis suffragia de magistratibus ferrent, ad honores ipsos non esse admissos."

Redeamus jam ad disputationem de effectibus magistratus

---

[1]) Vid. leg. 17 § 4, D. *ad mun.* (50. 1,); addantur testimonia veterum quae citat becker-marquardt in *Op. l.* III, 1 p. 383 not. 2442.

[2]) *Stud. Rom.* p. 356.

[3]) *Stud. Rom.* p. 285.

Capite 24. Cum enim in illa legis parte totidem verbis caveatur praefectum IIviri, qui tantum illo absente munere eius fungatur, civitatem non consecuturum esse, ex Capite 24 sequitur praefectum Caesaris, qui per omne honoris tempus vice eius IIviratum gerat, civitate Romana augeri, nam eodem jure ibi esse iubetur, quo esset IIvir [1]).

Deinde ZUMPT animadvertit cum in postrema Capitis periodo de magistratibus creandis agatur, initio similiter de iis creandis actum esse, quod libenter concedo; addit tamen secundum ea quae supplet MOMMSEN, ibi cautum fuisse de abeundo magistratu eorum de quibus creandis dicendum fuisset; perperam tamen verba illius interpretari videtur. Ille enim revera de *creatione* locutus est. Ait enim: „Qui IIvir aedilis quaestor factus erit" [quod eodem redit ac si dixisset „qui magistratus creati erunt"] cives Romani sunto, dummodo pauciores ex candidatis jam sint cives quam quot magistratus creare oporteat; cetera modo interponuntur, ut appareret *quando* hoc locum habeat. Itaque, me judice, haec quoque difficultas sublata est [2]).

Restitutioni quam proposuit MOMMSEN prorsus assentior, imprimisque propter has causas:

1° quia ex alia legis parte jam apparuit Salpensae magistratu gerendo Latinos civitatem consequi,

---

[1]) Conferri meretur de hac causa RUDORFF in *Disp. Crit.* p. 7.

[2]) Supra jam animadverti ipsum ZUMPT aliam restitutionem voluisse; ita enim legere mavult: „Incolarum, qui Latini erunt, comitiis ratio haberi poterit, si in municipium Flavium Salpensanum abierint cum parentibus conjugibus etc." Prorsus aliena sunt haec verba ab hoc loco, cum in alia legis parte, non vero hoc Capite, de iis agatur, quorum comitiis ratio haberi potest vel non. Praeterea haud facile intelligeretur, quare incolarum comitiis ratio haberetur tantum si *cum* parentibus etc. Salpensam migrarent, caeteroquin non; quod si non significet hoc additamentum, nihil significat.

2⁰ quia, propter ultima verba, initio Capitis quoque de magistratibus creandis actum esse puto.

3⁰ quia in utroque Capite sequenti, quod, me judice, cum Capite 21 cohaeret, sermo est de civitate consequenda.

Jam licet contendere Caput 21 legis Salp. quaedam continere de municipibus Latinis qui magistratu gerendo civitatem Romanam adipiscuntur. Ipsum hoc novum non est; jus illud enim proprium fuisse Latinis civitatibus notum erat [1]), attamen in Capite 21 placitum invenitur, quod re vera non convenit cum jure Latii aliunde nobis cognito. Cum enim semper, etiam in notissimo illo loco GAII [2]), quatenus verba integra supersunt [3]), tantum ii civitatem consequi dicantur qui ipsi magistratum gerunt, lege Salpensana cavetur, ut non illi *soli*, sed cum parentibus conjugibus et liberis qui in potestate sunt, item nepotibus et neptibus filio natis, qui quae in potestate sunt, civitatem Romanam magistratu gerendo consequantur.

Negari nequit testimonia illa et legis Salpensanae praecepta re vera inter se pugnare, si saltem quae in lege nostra caventur, tanquam effectus ipsius juris Latii recenseantur; quod tamen non puto fieri. Num igitur placitum Capitis 21 singulare quid est propriumque municipio Salpensano? Est omnino, opinor, ut indicare paucis conabor.

Hoc loco mihi succurrunt edicta illa VESPASIANI et DOMITIANI, quae supra [4]) arcte cohaerere dixi cum argumento Capitis 21. Quod cum ita sit, tantum profecimus ut apte edicta quorum in Capit. 22 et 23 mentio est, explicari possint; nam nisi conjungamus edicta illa cum Capite 21 huius legis, ni-

[1]) Vid. supra *Diss.* p. 34. cf. not. 2. [2]) *Institut.* Lib. I, § 96.

[3]) De parte illa quae est manca paulo post verba faciam.

[4]) Vid. *Diss.* p. 40.

hil aliud de iis affirmare licet quam ea de civitate Romana aliquid continuisse. De argumento horum edictorum nonnulla addamus.

Memorantur in Capite 22 et 23, duo ut videtur, edicta [1]), unum Imperatoris VESPASIANI Imperatorisque TITI, alterum Imperatoris DOMITIANI. Nusquam edictorum in legibus mentio est nisi hoc loco, ubi de civitate Romana consequenda agitur. Verba legis, in utroque Capite fere eadem, sunt haec: „Qui quaeve ex hac lege exve edicto IMPERATORIS CAESARIS AUGUSTI VESPASIANI IMPERATORISVE TITI CAESARIS VESPASIANI AUGUSTI aut IMPERATORIS CAESARIS AUGUSTI DOMITIANI PATRIS PATRIAE [2]) civitatem Romanam consecutus consecuta erit [3]).“ Itaque VESPASIANUS, TITUS et DOMITIANUS civitatem nonnullis concesserunt.

Supra monui VESPASIANUM Malacae et Salpensae Latinitatem tribuisse; edicto tamen non opus erat ut intelligeretur aliquis magistratu gerendo civitatem consequi; hic enim erat effectus Latinitatis. Qua re viro cl. HUSCHKE assentior contendenti [4]) *hoc* in edictis fuisse: etiam parentes liberos, conjuges

---

[1]) *Duo* edicta fuisse (non tria, uti fortasse voluit HUSCHKE in Opere: *Beiträge* p. 15, 16), quorum alterum VESPASIANUS et TITUS simul, alterum DOMITIANUS proposuerit, satis probatur particula *aut*, qua nomina TITI et VESPASIANI sejunguntur a nomine DOMITIANI. vid. ZUMPT, *Stud. Rom.* p. 307. Temere de hac re dubitare videtur RUDORFF in *Disp. Crit*, p. 23.

[2]) Qua ratione hi tituli differant, ostendit BURCHARDI in Opere *Lehrbuch* cet I, p. 177, addatur SERRIGNY, in Opere: *Droit public et administratif Romain*, Paris 1862, I, p. 24—26.

LABOULAYE in Op: *les Tables* cet. p. 20, animadvertit, haec nomina non semper eodem ordine in lege scripta inveniri; re vera tamen in compluribus aliis legibus et inscriptionibus eadem est inaequalitas cf. GIRAUD, in *Op. l.* p. 59, 60. Praeter testimonia ab illo allata huius rei exemplum exstat in lege regia VESPASIANI. Vid. ZELL in Opere: *Delectus Inscript.* no. 1686.

[3]) Reliqua Capitum verba huc non pertinent; ibi enim quaestio est de jure privato Salpensanorum quod alio loco exponere in animo est.

[4]) In *Op. l. Beiträge*, cet. p. 15.

et nepotes eius qui magistratum gessit simul cum eo civitatem Romanam adepturos esse; quod nominatim cavendum erat, quia non erat effectus juris Latii [1]).

Jus illud ergo peculiare quod in lege Salpensana memoratum videmus, edictis debetur.

Nonne obstat huic edictorum explicationi eorumdem praeceptorum mentio in ipsa hac lege? Quid enim, si edictis jam Imperatores jus illud oppidis nostris tribuissent, quid, aio, opus erat lege? Hae difficultates facile tolli possunt; res enim ita sese habuisse videtur. VESPASIANUS et TITUS edicto Salpensanos Latinitatem adeptos privilegio donarunt de quo dixi; DOMITIANUS vero in edicto repetivit, quod pater et frater sanxerat; lege nostra denique Imperator DOMITIANUS penitus ordinavit jus civitatis acquirendae Salpensanorum, tum quod ex ipso jure Latii sequebatur, tum quod edictis introductum erat [2]).

In hac sententia persevero equidem postquam RUDORFF[3]), quem secutus est HUSCHKE [4]), hoc privilegium effectum esse ipsius juris Latii statuit. Probantes verba quibus MOMMSEN

---

1) ZUMPT, *Stud. Rom.* p. 309 hanc sententiam pugnare putat cum iis quae in aere Salpensano leguntur. „Ipse (HUSCHKE) enim;" ait, „edicta ad parentes, liberos, nepotes civitate donandos pertinere censet, legis verba ad ipsum cuius parentes et liberi sint pertinent." Rursus ego non dubito affirmare auctoris sententiam legis verbis refelli. Etenim tum Capiti 22 tum Capiti 23 legis Salp. praescripta sunt verba „qui quae", ita ut ad personas utriusque sexus placita illa procul dubio spectent.

2) Temere Dr. STINTZING in Diario Iuridico: *Heidelbergische Kritische Zeitschrift für die gesammte Rechtswissenschaft*, anni 1856, Tom. 3 p. 334 (ubi recensuit Opus laudatum viri cl. HUSCHKE nomine *Beiträge*, cet). contendit privilegium de quo locutus sum hac lege municipali demum introductum fuisse; quid in edictis fuerit divinandum relinquit.

3) In *Disp. Crit.* p. 9, 10.

4) In Opere quod inscribitur: „*Jurisprudentiae Ante-Justinianeae quae supersunt*, Lipsiae 1861, ad GAIUM I. § 96, not. 6.

Caput 21 legis Salpensanae supplet, secundum illa locum mancum GAII, cuius obiter mentionem feci ita restituerunt: „Alia causa est eorum qui Latii jure cum liberis suis ad civitatem Romanam perveniunt, nam horum in potestate fiunt liberi, quod jus quibusdam peregrinis concedi solet principalibus constitutionibus, dato scilicet majore Latio, nam aut maius est Latium aut minus; maius Latium est cum non hi tantum qui vel magistratum vel honorem gerunt sed liberi et parentes et uxores etiam eorum qui magistratum gerunt civitatem Romanam consequuntur; minus Latium est cum hi tantum qui vel magistratum vel honorem gerunt ad civitatem Romanam perveniunt; idque compluribus epistolis principum significatur" [1]).

Quamvis huius loci non sit fuse de hoc GAII loco disputare restitutionem ab iis factam citavi, ut appareret privilegium quod est in Capite 21 legis Salp. videri iis effectum juris Latii. Licet autem veram esse putem, ut obiter addam, restitutionem illam, non assentior iis VESPASIANUM edicto maius Latium universae Hispaniae et municipiis quoque nostris tribuisse. Habeo enim quae huic conjecturae opponam. Si a VESPASIANO edicto Salpensae et Malacae jus Latii maius, quod complectebatur jus civitatis consequendae parentibus, uxori, liberis tributum, magistratu gesto ab ipsorum filio, marito vel patre, concessum esset, intelligi non posset, qua re edicto DOMITIANI et lege ab eo lata idem quod jure Latii jam habebant nostrae urbes, iterum iis datum fuisset; praeterea si privilegia illa a DOMITIANO concessa maius Latium constituissent et illo nomine tunc vocata fu-

---

[1]) Vid. RUDORFF in *Disp. Crit.* p. 20. Eodem modo jam, paucis mutatis, locum GAII restituerat MOMMSEN in Opere: *Stadtr.* p. 405 not. 40.

issent, procul dubio sive in legibus municipalibus ipsis sive apud PLINIUM, ubi loquitur de Latii jure Hispaniae tributo [1]), mentio majoris Latii facta fuisset. Quod cum factum non sit, neque usquam ante monumenta Hispanica reperta memoretur privilegium Salpensae et Malacae edictis et lege datum, probabilior mihi haec explicatio videtur:

Imperator VESPASIANUS Hispaniae et municipiis quoque his jus Latii coloniarum tribuit; his tamen concessit privilegium quod memoratur in Capite 21, iisque a DOMITIANO vindicatum est et edicto et lege. Tam saepe postea fortasse cum illo Latii jure conjunctum dabatur privilegium illud ut tempore GAII recte maius Latium vocari posset, cum minus Latium diceretur jus Latii, non addito illo jure quod continetur Capite 21.

Hac disputatione ad finem perducta de jure honorum municipum Malacitanorum et Salpensanorum de effectibusque magistratus gerendi in municipiis Latinis edocti sumus; si vero fusius fortasse quam par erat de hoc argumento disputaverim, saltem eo excusari videor, quod multa nova ea que magni momenti ex hac legis Salpensanae parte discimus.

Jura publica municipum incolarumque, in universum populi partes in republica administranda indicare conatus sum, quare jam agendum erit de senatu et de magistratibus. Addendum tamen hoc loco municipes et incolas omnibus muneribus in municipiis Flaviis fungi debuisse. Licet totidem verbis officium

---

[1]) PLINIUS civitates memorans quae Latinitatem a VESPASIANO acceperant, iis opponit oppida antiquitus Latio donata; eas modo distinxit ratione temporis quo ius Latii adeptae erant.

illud incolis non imponatur his legibus, continetur tamen placitum Capite 69 legis Mal. unde probabiliter officium illud iis incubuisse discimus. Neque, si prorsus nihil de hac re in lege sive Malacitana sive Salpensana praescriptum esset, de illo dubitare liceret, nam constat juris generalis fuisse in municipiis, incolas omnibus muneribus aeque ac municipes fungi debere [1]). Idem quoque ex lege Malacitana apparere videtur, agitur enim in Capite 69, uti patet ex Rubrica, „de judicio pecuniae communis," permittitur ibidem actione municipes vel incolas conveniri quod ipsa legis verba manifesto indicant, sunt enim: „Quod municipum municipii Flavii Malacitani nomine petetur ab eo qui eius municipii municeps incolave erit;" quod si attendimus ad Rubricam jam laudatam Capitis 69 et ad contextum huius Capitis collato utroque Capite proxime antecedenti, ubi iis praecepta dantur qui pecuniam publicam tenent deque rationibus ab iis reddendis agitur [2]), manifestum est hoc Capite actionem dari contra eos qui negotium publicum gesserint, quique post rationes redditas in ea conditione sunt ut actione conveniri possint quae cuivis de populo concedatur. Inde, me judice, perspicue apparet tam municipibus quam incolis negotia sive munera publica [3]) mandari potuisse.

De variis muneribus, quae civibus in municipiis mandari poterant, tacent fere leges Flaviae; in Capite 68 legis Mal. tamen mentio fit actorum municipii sive patronorum cau-

---

[1]) Vid leg. 1 et 5. Cod. *de mun. et orig.* (10. 38), et leg. 5, 6. Cod. *de incolis et ubi quis* (10.39). addatur GAIUS in lege 29 D. *ad mun.* (50.1.) in fine.

[2]) Vid Cap. 67.68. *legis Mal.*

[3]) Quid sit munus publicum POMPONIUS docet in lege 239. § 3 D. *de Verb. Sign.* (5016).

sae. Uti vulgo qui muneribus fungebantur[1]), constituebantur in municipio Malacitano ab Ordine. Iurati decuriones per tabellam de hac electione decernunt, quae agendi ratio cum cohaereat cum modo et forma deliberandi et decernendi in Senatu, infra ubi de ordinis conventu sermo erit de ea exponetur[2]).

Ad ministerium horum causae patronorum pertinent quoque nonnulla verba Capitis 68., cavetur enim: „Qui ita lecti erunt, tempus a decurionibus conscriptisve, quo causam cognoscant actionemque suam ordinent, postulanto eoque tempore quod iis datum erit transacto eam causam uti quod recte factum esse volet[3]) agunto." Quaenam causa iis cognoscenda fuerit mandata, tum ex initio huius Capitis, ubi eligi dicuntur „cum ita rationes reddentur," tum ex Capite 67, quocum cohaeret Caput nostrum, apparet. Inde enim certiores facti sumus iis qui negotium publicum gessissent rationes reddendas fuisse; ad eas exigendas Ordo nonnunquam patronos causae constituebat, quos, causa cognita, communicare oportebat cum curia quid de illa re sentirent. Si quis male negotium publicum gessisset, ex lege Malacitana, uti paulo post videbimus, ei poena infligi poterat. Hisce peractis, patroni munere abibant, quod plane consequitur ex eorum mandato, cum ad unam hanc causam essent electi. Neque tamen hoc ferre potuit LABOULAYE, qui ita de hac causa agit[4]): „En effet on voit de bonne heure l'effort de la centralisation impériale et l'institution des curatores énerver

---

1) Vid. leg. 3 et 6 § 1, D *quod cuiusc. univ.* (3.4) cf. leg. 2, Cod. *de dec et fil.* (10.31).

2) Vid. *Diss.* p. 69, sqq.

3) LABOULAYE, in Opere: *les Tables* p. 49. not. 63. legere mallet: „volent." Usitata tamen est formula, uti in lege scripta est; eadem quoque, ne dicam de Capite 60 legis Mal., in lege Acilia Cap. 19 et 24 invenitur; vid. ZELL. *Del.* n⁰. 1696. De formula illa cf. DIRCKSEN *Civ. Abhandl.* II, p. 256.

4) In Opere: *les Tables*, p. 48, not. 57.

complètement les municipalités." Spectat, opinor, vir. cl. ad curatores *reipublicae*, nam curatores qui singulis negotiis praeficiebantur, puta curatores annonae, aquae ducendae, aerarii, ab Ordine eliguntur [1]). Ulterius tamen quam par est auctor progreditur, qui curatores reipublicae Malacae adesse voluit tempore DOMITIANI, nam primum exemplum curatoris ab Imperatore dati occurrit aetate TRAJANI [2]). Imo Malacae locus non erat curatori reipublicae; eius officia imprimis comprehendebant curam redituum et operum publicorum [3]), quam in municipio nostro II viris mandatam fuisse videbimus.

Apparuit jam eos qui munera obierint in municipiis Flaviis plane libero arbitrio non usos esse in negotiis publicis agendis; de hac causa ita statuit Caput 67 legis Malacitanae: „Ad quem pecunia communis municipum eius municipi pervenerit, heresve eius isve ad quem ea res pertinebit, in diebus 30 proximis, quibus ea pecunia ad eum pervenerit, in publicum municipum eius municipii eam referto. Quique rationes communes negotiumve quod commune municipum eius municipi gesserit tractaverit, is heresve eius isve ad quem ea res pertinebit in diebus 30 proximis, quibus ea negotia easve rationes gerere tractare desierit, quibusque decuriones conscriptique habebuntur rationes edito redditoque." Inde apparet, quicunque munus publicum gererent, iis cunctis rationes negotii gesti reddendas fuisse intra 30 dies post munus depositum; insuper qui gerentes pecuniam publicam acceperant, eodem temporis spatio, a die quo acceperant computato, cogebantur illam in publicum referre; aliis verbis: pecu-

1) Vid. ZUMPT, in *Comment Epigraph.* I, p. 150—152.

2) Cf. eundem auctorem in Op. l. p. 153.

3) Vid. leg. 18 § 9 D. *de mun. et hon.* (50.4) leg. 3 § 1 D. *de adm rer.* (50.8). cf. quoque leg. 46 D. *de damno inf.* (39.13).

niam acceptam tradere oportebat magistratui ad cuius provinciam hoc pertinebat.

Si quis autem Ordini, qui rationes accipit, vel iis qui in hunc finem ab Ordine constituuntur, male gessisse videatur, locus est actioni cuivis de populo instituendae, quae in Capite 69 legis Mal. respicitur.

Qui rationes omnino non reddit vel pecuniam publicam tradere recusat, quive hoc facere omittit modo lege praescripto [1], quanti ea res est tantum et alterum tantum municipibus dare debet.

Quae munera spectentur hoc Capite non apparet; fortasse, cum curatorum ad colligendos civitatum reditus [2] Malacae mentio non fiat, lex eos voluit municipes vel incolas qui illo munere fungerentur. Fortasse quoque ad eos pertinet legis placitum, quibus cura praediorum publicorum [3] injuncta erat sive exactio pecuniae pro capitibus [4], quippe qui omnes pecuniam publicam tenerent.

Itaque de juribus publicis populi, quantum per leges licebat, vidimus; inquirendum jam est in potestatem, qua Malacae et Salpensae gavisus sit senatus.

---

[1] Hac significatione accipienda est periodus illa Capitis 67: „Per quem steterit, quominus ita pecunia redigeretur, referretur quove minus ita rationes redderentur, is per quem steterit quominus rationes redderentur quoveminus pecunia redigeretur referretur, caet," quam LABOULAYE tam confusam esse praedicavit. Illis verbis enim duae causae designantur: tam causa eorum qui rationes non reddunt pecuniamve non praestant quam eorum qui ita non faciant modo legitimo.

[2] Vid leg. 18 § 9 D. *de mun. et hon.* (50.4)

[3] Vid leg. 1 § 2 D. *de mun et hon.* (50.4)

[4] Vid leg. 18 § 8 D. *eiusd. Tit.*

CAPUT II.

DE ORDINE.

Multa sunt placita in legibus Flaviis, quae demonstrant Senatum municipalem Malacae et Salpensae affuisse; neque hoc dubio obnoxium esse posset, cum instituta municipalia similia Romanis fuisse noverimus. Eodem tamen nomine non semper eadem dicuntur, cuius rei certissimum testimonium hoc loco adest.

Quum enim qui Romae Senatus participes sunt Senatores sive patres dicantur, socii Senatus municipalis plerumque decuriones vocantur. Ubique fere ubi de Senatu Malacitano vel Salpensano praescripta occurrunt, decuriones memorantur [1], quae vox tamen saepius permutatur cum vocabulo „conscripti" vel cum eo conjungitur.

Quod cum etiam in tabula Heracleensi fieri soleat [2], Dircksen [3]) decuriones et concriptos eodem modo diversos fuisse putat ac Romae patres a conscriptis distinguerentur [4]. De aliis municipiis non dico [5], sed Malacae saltem et Salpensae discrimen illud obtinuisse non puto, cum promiscue Senatus in legibus nostris tum „decuriones" tum „decuriones conscripti" dicatur [6]; Senatum dico, nam, quin singulis locis ad totum Senatum respiciatur, dubium non videtur.

---

1) De ipsa voce cf. leg. 239 § 5 D. *de Verb. Sign.* (50.16).

2) Vid Cap. V, VI, VII cet. *legis Juliae mun.* apud Zell *Del. Inscrip.* no. 1682.

3) In Opere: *Observationes ad Tabulae Heracleensis partem alteram*, Berolini 1827. p. 19. cui nuper assentitur Serrigny in *Op. l.* I. p. 194.

4) Cf. Lange, *Röm. Altherthümer.* II, p. 326.

5) Vid. Becker-Marquardt in *Op l.* 3. 1. p. 365 not. 2358.

6) *Hoc* in Capitibus 24. 25. *legis Salp.* in Cap. 54. 62. 63. 64. cet, *legis Mal.; illud* in Cap 28. 29. *legis Salp.* et Cap. 61. *legis Mal.*

De Senatus lectione, quae magistratibus competebat, postea, ubi eorum ministerium exponam, aptius agi potest; hoc loco sufficiat inquirere in eos qui in Senatum leguntur. Si similitudinem Romae in partes vocare liceat, apparet arbitrium lectionis paulatim coërcuisse legem Oviniam [1]) et plebiscitum Atinium [2]); posthac enim omnes qui magistratibus curulibus functi erant non tantum, verum etiam magistratus plebejos post gestum honorem in Senatum recipi juris erat [3]). Quo factum est, ut, numero magistratuum paulatim aucto, privatis non amplius potestas facta sit ut Senatui interessent, nisi Censor numerum legitimum superare voluisset.

Eo nondum, ut videtur, in republica Malacitana et Salpensana res pervenerat; nam licet nihil de hac re caveatur in lege, ex Capite tamen 25 legis Salpensanae satis certum factum est; inde enim jam nobis innotuit qui praefectus IIviri fuerit civitatem non consequi. Si conferantur haec legis verba: „Quem praefectum municipi non minorem quam annorum 35 *ex decurionibus conscriptisque* relinquere volet (sc. IIvir), facito ut" cet., apparet non omnes decuriones civitate Romana usos fuisse. Quum autem ex ipso hoc Capite constet magistratu gerendo, Latinos civitate augeri, necesse est, ut etiam alii, praeter eos qui magistratu functi erant, participes Senatus fuerint. Eos enim qui honorem gessissent in Ordinem adscriptos fuisse, similitudinem Romae secuti, etiam in municipiis nostris

---

[1]) Vid FESTUM de *Verb. Sign.* p. 246 ed MÜLLER.

[2]) Vid GELLIUM, *Noct. Att.* Lib. 14. Cap. 8. cf. LIVIUM. Lib. 23. Cap. 23. addatur LANGE in *Op. l.* II. p. 151. et 316.

[3]) Ita tamen haec intelligantur ut Censori licuerit praeterire aliquem cf. FESTUM de *Verb. Sign.* p. 246 ed. MÜLLER, et LIVIUM 23. 23; 27. 11; 38, 28.

moris fuisse statuere poterimus. Valde verisimilis haec conjectura fit, si attendas ad legem Juliam municipalem [1]).

Quamvis igitur lege vel usu non tantum ii qui magistratu functi erant IIviro legenti indicarentur [2]) tamen arbitrium eius nullo circumscriptum fuisse legis interdictio non censeo. Nihil tamen in monumentis memoratur quod requisitum sit in persona eius qui in numerum decurionum reciperetur.

Talia tamen Malacae et Salpensae non defuisse probabile fit, si iterum conferamus similitudinem Romae cui jungenda sunt praecepta legis Juliae municipalis.

Requirebantur fortasse:

a. Certa aetas. Ex legis verbis modo citatis apparet jam ante 35 annum curiae interesse potuisse aliquem; caeteroquin mentio illa aetatis necessaria non fuisset; plura tamen ex Capite illo concludere non licet.

Possumus tamen jus commune municipiorum in partes vocare, ex Digestis enim aetatem 25 annorum decurionibus praescriptam fuisse docemur [3]).

b. Census. Monumenta, ne verbo quidem, nobis indicant num Malacae et Salpensae census in iis qui decurionatum peterent requisitus sit; itaque analogiam iterum consulere fas est.

---

[1]) Vid Caput 10. *legis Juliae* (ZELL *Del.* not. 1682). in verbis: „Quibus hac lege in municipio, colonia, praefectura, foro, conciliabulo in Senatum decurionibus conscriptis esse non licebit ne quis eorum in municipio, colonia, praefectura foro, conciliabulo, II vir aliamve quam potestatem *ex quo honore in eum ordinem perveniat*, petito etc.

[2]) Plura de lectione Senatus in municipiis habet BECKER-MARQUARDT in *Op l.* 3. 1. p. 369, 370.

[3]) Vid. leg. 8 D. *de mun. et honor.* (50, 4) et leg. 6, § 1 et leg. 11 D. *de decur. et fil.* (50, 2); postea factum esse ut nulla amplius aetas requireretur, notissima res est; vide leg. 21, § 6 D. *ad mun.* (50, 1), addatur KUHN, in Opere: *Die Stadtische Senat,* cet p. 247. In lege Julia municipali nullum praescriptum de aetate decurionum invenitur. Animadvertendum eandem aetatem 25 annorum lege Malacitana magistratui gerendo constitutam esse.

Romae, ut videtur, senatores plerumque censu equestri utebantur [1]; AUGUSTUM vero censum senatorium instituisse novimus [2]. In municipiis juris generalis non fuisse videtur, ut decuriones fruerentur certo censu; hoc, me judice, tuto inde concludere licet quod nihil hac de re in lege Julia municipali cautum videmus; procul dubio tamen hic illic census requirebatur, cuius rei testis est CICERO, qui in oppidis Siciliae suo tempore census certi mentionem facit [3]. Difficile est sane, aliquid statuere de censu in municipiis nostris. Quamvis incerta res maneat, a vero tamen non multum aberrare puto, qui contendant in lege municipali a DOMITIANO lata cautum fuisse aliquid de censu senatorio, quum ab Augusti inde tempore eiusmodi praescriptum Romae viguisse constet [4].

Quanti fuerit census statuere non licet; in singulis municipiis idem procul dubio non erat, sed diversus pro cuiusque civitatis amplitudine atque opulentia fuisse videtur.

c. Arcebantur a decurionatu quorum mores sive vitae condicio ordinis dignitati repugnarent. Licet de hac quoque re nihil ex lege Malacitana et Salpensana cognoverimus, dubio caret, opinor, quin tale quid praescriptum in lege fuerit. Nam juris generalis hoc fuisse in municipiis statuere licet, si legem Juliam municipalem conferas, quae multos, qui turpi condicione ac moribus talibus sunt, a decurionatu arcet [5].

---

1) Equites LIVIUS vocat „seminarium senatus" vid. Lib. 42, 61. Fortasse census facti potius quam juris erat. Cf. PAULY, *Realencyclopaedie* in voce Senatus, p. 1001.

2) Ex SUETONIO in *vita Octav. Cap.* 41. et DIONE CASSIO, *Lib.* 54 *Cap.* 17. 26. *Lib.* 55 *Cap.* 13.

3) *In Verrem,* Act. II, Lib. II, Cap. 49.

4) Exemplum affert PLINIUS, Ep. 1. 19.

5) In Capite VIII *legis Juliae* ita cautum est: „Quae municipia, coloniae,

Haec autem legis Juliae placita in municipiis nostris quoque viguisse negare non ausim, quod in alia legis parte, (ubi de iis quae requiruntur in eorum personis qui magistratum petunt agitur, vid. Cap. 54 legis Mal.) ad ipsam legem Juliam respicitur; arcentur enim „qui in earum qua causa erunt, propter quam si cives Romani essent in numero decurionum conscriptorum eos esse non liceret." Igitur eiusmodi interdictum ac continebatur lege Julia, etiam eos qui curiae Malacitanae participes fieri vellent coërcuisse puto.

Addendum videtur in municipiis libertinos ab ordine prohiberi [1]), quod Malacae quoque et Salpensae praescriptum fuisse videtur, lex enim municipalis eos quoque ingenuos esse jubet

---

praefecturae, fora, conciliabula civium Romanorum, sunt erunt, ne quis in eorum quo municipio, colonia, praefectura, conciliabulo senatu decurionibus conscriptisque esto, neve cui ibi in eo ordine sententiam dicere ferre liceto, qui furti, quod ipse fecit, fecerit, condemnatus pactusve est, erit, quive iudicio fiduciae, pro socio, tutelae, mandati, injuriarum, deve dolo malo condemnatus est, erit, quive lege Plaetoria, ob eamve rem, quod adversus eam legem fecit, fecerit, condemnatus est erit, quive depugnandi causa auctoratus est, erit, fuit, fuerit, quive in jure abjuraverit bonamve copiam juravit juraverit, qui sponsoribus creditoribusque suis renuntiavit, renuntiaverit se solidum solvere non posse, prove quo datum, depensum est, erit, cuiusque bona ex edicto eius qui juri dic. praefuit — possessa proscriptave sunt erunt, quive judicio publico Romae condemnatus est erit quocirca eum in Italia esse non liceat — quive in eo municipio — cuius erit judicio publico condemnatus est erit, quemve calumniae praevaricationis causa accusasse fecisseve quod judicatum est erit, cuive apud exercitum ignominiae causa ordo ademptus est erit, quemve imperator ignominiae causa ab exercitu decedere jussit, jusserit; quive ob caput civis Romani referendum pecuniam praemium aliudve quid cepit ceperit; quive corpore quaestum fecit, fecerit; quive lanistaturam artemve ludicram fecit fecerit; quive lenocinium faciet."

Plerique eorum qui recensentur hoc capite notabantur infamia; vid. leg. 1. D. *de his qui not. infamia* (3.2.) et leg. 1 § 6 D. *de postulando* (3.1.)

[1]) Vid. *leg. un.* Cod. *ad leg. Visell.* (9.21) addatur lex 1 et 2 Cod. *si servus aut libertus* (10. 32) cf. ZUMPT in *Comment Epigraph.* I. p. 122.

qui magistratum petant [1]. Romae non omnes ingenuos in Senatum receptos fuisse, imo libertinorum filios quoque a Senatu exclusos fuisse, memoriae traditum est [2].

Jam vidimus quibus curiae interesse non liceat; ad eos nunc accedamus qui illius sunt participes.

De numero decurionum non constat; certum numerum tamen Malacae et Salpensae fuisse apparet ex variis locis ubi sermo est de duabus partibus requisitis ut decretum ratum esset [3].

Romae quoque et in aliis civitatibus [4] certus senatorum numerus erat; differebat tamen pro diversis temporibus [5]. In compluribus municipiis numerus fuit centenarius [6].

Num omnes decuriones eodem sunt jure eademve dignitate fruuntur? Huic quaestioni lex nostra diserte non respondet; ex aliis tamen veterum testimoniis, collata lege Salpensana, responsum peti potest.

Romae procul dubio a ceteris differebant dignitate qui pedarii senatores vocabantur. Hoc nomine designabantur, opinor, qui nullo honore gesto in Senatum erant lecti et postremi erant inter senatores, quia sententiam dicere in senatu non solebant, sed per discessionem sententiam ferebant [7]; *jure*

---

1) Vid. Cap. 54, legis Mal.

2) Vid. CICERON. *pro Cluent.* Cap. 47 § 132; LIVIUM, Lib. 9, Cap. 29, 30, 46.

3) Vid. Cap. 28, 29, *legis Salp.* cap. 61, 62, 64, 68, *legis Mal.*

4) Cf. leg. 2 pr. D. *de decur. et fil.* (50.2.).

5) Vid. PAULY, *Realencyclopedie*, in voce Senatus p. 996.97.

6) Capuae, v. g. (vid. CICERON. *de lege Agraria* II, Cap. 35, § 96), Perusiae vid. *Inscript.* ORELLI; no. 3739.

7) De nomine cf. verba GELLII, Lib. 3 Cap, 18; „sed eos senatores qui magistratum curulem nondum ceperant pedibus itavisse in curiam: propterea senatores nondum majoribus honoribus functos pedarios nominatos." Add. FESTUS, *de Verb. Sign.* p. 210 ed. MÜLLER, ubi dicit de pedario „tacitus transeundo ad eum cuius sententiam probat quid sentiat, indicat."

tamen a ceteris non differebant [1]). Non tantum Romae verum etiam in municipiis memorantur pedarii; inferiorem etiam locum iis qui magistratum gesserant ibi occupasse pedarios docet album Canusinum, ubi nomina eorum postponuntur iis qui sive IIviri sive aediles sive quaestores fuerant [2]).

In albo municipali autem decuriones secundum dignitatem inscriptos fuisse ULPIANUS testatur [3]), ubi dicit: „Decuriones in albo ita scriptos esse oportet ut lege municipali praecipitur, sed, si lex cessat tunc dignitates erunt spectandae, ut scribantur eo ordine, quo quisque eorum maximo honore in municipio functus est: puta qui duumviratum gesserunt si hic honor praecellat et inter duumvirales antiquissimus quisque prior; deinde hi qui secundo post duumviratum honore in republica functi sunt; post eos qui tertio et deinceps; mox hi qui nullo honore functi sunt, prout quisque eorum in ordinem venit." Hisce ultimis verbis Ictus diserte confirmat quae de dignitate pedariorum in municipiis disputavi.

Quibuscum legem Salpensanam Cap. 25 conferentes, videmus in decurionibus fuisse, qui non sint cives [4]), quique igitur nondum magistratum gesserint, quos, me judice, licet nomen in tabulis non legatur, pedariis aequiparare licet.

Dignitas autem decurionum imprimis spectabatur cum

---

[1]) Sunt qui putent pedariis senatoribus sententiam dicere *non licuisse*, inter quos vid. PAULY, *Real. Encyclopedie*, in voce Senatus, p. 1004, quod tamen non puto; quamvis sententiam dicere iis licuerit (cf. TACITUM, *Annal.* Lib. 3, Cap. 65), plerumque non utebantur illo jure, pudoris ac modestiae causa, quod tradidit DIONYSIUS HALIC. *Lib.* 7 *Cap.* 47.

[2]) Descriptum invenitur apud ZELL, *Del.* no. 1764, apud ORELL. *Inscript.* no. 3721.

[3]) In lege 1 pr. D. *de albo scrib.* (50, 3).

[4]) Praefectus enim qui ex decurionibus relinquitur civitatem Romanam non consequitur secundum legem Salpensanam, cf. supra *Diss.* p. 63.

Senatores sententias a magistratu rogati dicebant; quam ob causam optime hoc loco quaedam de senatus conventu, ad quem nonnulla legis Mal. praecepta pertinent, inseri poterint.

Et Romae et in municipiis Senatus a summis magistratibus habebatur, quod Malacae quoque obtinuisse infra videbimus. Ordo haberi non poterat nisi duae partes decurionum adessent; omnino hoc in municipiis receptum erat [1]), neque dubito quin idem in municipiis Flaviis juris fuerit. Romae frequentia senatus adeo erat usitata ut nulla praecepta de illa adessent; postea tamen, prouti de diversis rebus referebatur, diversus numerus ibi requirebatur [2]). Senatores quoque cogi poterant adesse; absentes multa afficiebantur [3]).

Nisi adessent duae partes ordinis decreta quae facta erant non valebant; non tantum lege Malacitana et Salpensana [4]), sed ubique in municipiis hoc statutum fuisse docemur [5]).

Quum igitur ordo legitimo numero coactus est, magistratus qui decuriones habet in lege Malacitana [6]) jubetur referre ad patres qua de re agatur. Hoc Capite sermo est de elec-

---

[1]) Vid. Leg. 3 D. *de decret ab ord. fac.* (50.9) cf. leg. 3 D. *quod cuiusque univ. nomine.* (3.4).

[2]) Vid. LIVIUM, Lib. 39. 18; Lib. 42. 28.

[3]) Vid. GELLIUM, *Noct. Att.* Lib. 14. Cap. 7.

[4]) Compluribus locis, ubique fere ubi de decretis ab ordine faciendis sermo est hoc additur vid. Cap. 28, 29. *legis Salp.* Cap. 61, 64, 67. *legis Mal.*

Notandum tamen est, inprimis cum prematur hoc a viro cl. LABOULAYE, in Opere: *Les Tables*, p. 45 not. 40, in Capite 62 *legis Mal.* decretum ordinis requiri „cum maior pars eorum fuerit," quae si accipiantur verba ad litteram, continet hoc legis placitum exceptionem a norma ubique in lege praescripta. Puto, cum ubique et in legibus nostris et alibi requirantur duae partes ordinis ut decretum sit ratum, idem hoc loco verbis „maior pars" indicatum esse.

[5]) Vid. leg. 2 D. *de decret ab ord. fac* (50.9) et leg. 46 Cod. *de decur. et fil.* (10, 31).

[6]) In Capite 68.

.ione quorundam patronorum qui rationes exigerent ab iis qui negotium publicum egissent. Verba sunt in lege: „referto quos placeat publicam causam agere." Duo, opinor, actus magistratui mandantur his verbis, sc. relatio et rogatio. Quamvis, uti monui, hoc loco de electione quadam a decurionibus facienda sermo sit, eaedem formulae deprehenduntur, ac si quaestio esset de rogatione aliave re.

Referebat enim, si quae Romae usu veniebant conferre liceat, consul ad Senatum de aliqua re, qua relata, sententias rogare debebat secundum certum ordinem [1]) hisce solemnibus verbis: „Quid fieri placet?" [2]) Singuli tum sententiam dicere poterant, quod ipsum „decernere" appellabatur; sententiis perrogatis postquam senator quilibet [3]) de re relata dixerat, consul sententias pronuntiabat patresque discedebant; de singu-

---

[1]) Vid. GELLIUM, *Noct. Att.* Lib. 4, Cap. 10; Lib. 14, Cap. 7.

[2]) Vid. LIV. 8, 20; SLAL. in *Catil.* Cap. 50.

[3]) Hoc loco observandum discrimen inter eos qui erant senatores et qui jure utebantur sententiae dicendae quod non tantum Romae, (vid. GELLIUM, *Noct. Att.* 3. 18; ubi haec formula legitur, neque tamen recte [cf. CICERO ad *Att.* I, 19] explicatur; add. FESTUS, *de Verb. Sign.* p. 339. ed. MULLER et LIVIUS 23, *Cap.* 32), verum etiam in municipiis (vid. legem Jul. mun. Cap. VI in fine et Cap. VIII) obtinet. Habebant enim magistratus qui honorem gesserant, nondum tamen in senatum lecti erant (lectio enim singulis lustris usu veniebat) jus sententiae dicendae in senatu. Quamvis lex nostra taceat de hac re idem tamen discrimen adfuisse puto. Magistratus ipsi quo tempore munere fungebantur sententiam non dicebant, (cf GELLIUM *Noct. Att.* 14.8 et TACITUM, *Annal.* 3, 17 ubi exceptio memoratur) ideoque mirum exstitit quod in lege Salpensana Cap. 26, magistratus jurare jubetur se „neque aliter sententiam dicturum quam ut ex hac lege exque re communi municipum eius municipii censeat fore." Notum est magistratus, quibus senatui interesse licebat, verba facere potuisse quandocunque vellent (vid. v. g. LIV. 8 Cap. 21, cf. LANGE, *Röm. Alterthümer*, II, p. 325); quod cum ita sit, in jurejurando „sententiam dicere" non adhibitum esse censeo vulgari sensu sed significare „verba facere de re relata." Quod si verum sit: magistratibus jus non fuisse sententiam dicere, necesse est ut temere contendisse dicatur vir. cl. MOMMSEN, (*Stadtrechte* p. 445) magistratusqui munere etiamtunc fungerentur comprehensos esse notissima illa formula „quibus in senatu sententiam dicere licet."

lis hac ipsa discessione in hanc alteramve partem suffragia ferebant [1]). Maior pars eorum qui aderant requirebatur ut sententia comprobaretur, si dubitabatur ubinam esset illa maior pars, omnium numeratio sequebatur [2]).

Haec erant dicenda ut perspicue appareret quid formulae quae hoc Capite continentur sc. „referre" „quos placeat" „decernanto," significent.

Ut redeamus igitur ad Caput 68. legis Malacitanae, videmus II virum retulisse de electione; fortasse iisdem illis verbis: „Quid fieri placet?" ad suffragia ferenda decuriones excitabat. De ordine quo suffragia tulerint non docemur, verisimile tamen est eodem ordine suffragia tulisse quo sententias rogari soliti essent. De hac re autem certiores nos facit ULPIANUS, qui cum dixisset dignitate ordinem constitui in albo conficiendo, addidit [3]): „In sententiis quoque dicendis idem ordo spectandus est quem in albo scribendo diximus."

Accuratius lex Malacitana agit de ratione qua suffragia ferenda sint a decurionibus; decernere enim jubentur „jurati per tabellam."

Antequam suffragia ferant jurare debent; idem cavetur in Capite 61. legis Mal., ubi decretum ordinis requiritur ut magistratus cooptare possit patronum municipii, quod tum demum faciendum est postquam „jurati per tabellam" sententiam tulerunt.

Iusiurandum igitur in lege non praestare jubentur senatores nisi ubi de honoribus conferendis sit sermo. LABOULAYE ad hunc locum notavit [4]): „Quant au serment spécial qu'on exige

---

[1]) Vid. GELLIUM, *Noct. Att.* Lib. 14, Cap. 7.

[2]) Vid. LIVIUM. Lib. 26, Cap. 33 et PLINIUM, *Ep.* 8, Cap. 14.

[3]) In lege 1 § 1 D. *de albo scrib.* (50.3).

[4]) In Opere: *les Tables* p. 45 not. 38.

du sénat municipal, je n'en sais pas d'autre exemple." Attamen non desunt exempla Senatum Romanum juratum decrevisse [1].

Accedit quod in lege Puteolana quoque mentio est jurisjurandi decurionum. Ibi enim legitur ubi de pariete faciendo sermo est: „Quod eorum viginti probaverint probum esto," ita ut idem Puteolis invaluisse constet [2].

Jurejurando praestito decernunt decuriones per tabellam, i. e. suffragium ferunt. Fusius de hoc modo suffragii ferendi sermo erit cum de suffragiis agam in comitiis latis; hoc loco sufficiat addere singulos decuriones tabellam accepisse cui nomina candidatorum inscriberent. Notum est Romae sub TRAJANO Imperatore demum invaluisse ut senatores per tabellas suffragia ferrent [3], unde miratur LABOULAYE decuriones tabellis usos esse Malacae antequam usu venisset Romae.

Verum esse puto, vulgo instituta Romanorum municipiis exemplo fuisse; attamen propterea non semper eadem deprehenduntur et Romae et in municipiis; potest tamen suffragii ferendi ratio per tabellam proprium quid Malacae fuisse more majorum ibi constitutum [4]; caeterum adeo mirum prorsus non videtur eadem

---

1) Vid LIV. 26, 33. 30, 40. 42, 21.

2) cf. MOMMSEN *Stadtrechte* p. 446. not. 161. Cum ita vir clar. loquitur: „Die Ablieferung des Werkes soll geschehn an die Duovirn und ein aus gewesenen Duovirn bestehendes consilium, von nicht weniger als zwanzig Mitgliedern, videri posset auctor respicere ad aliud quoddam consilium, nec vero ad curiam Puteolanam; quod si voluerit legis verba ei sunt opponenda. Sermo enim non est in lege cuiusdam consilii cuius viginti personae sunt participes, verum praesentia certe 20 decurionum requiritur. Ita enim scriptum est in lege: „Hoc opus omne facito arbitratu II virorum et II viratium qui in consilio solent esse Puteolis dumne minus viginti adsunt, cum ea res consuletur;" tum sequitur periodus jam laudata. Me iudice nonnisi ad curiam Puteolanam haec respicere possunt.

3) Vid PLINIUM *Epist.* 8, 20.

4) Ad mores legesque cuiuscunque loci a Romanis semper spectabatur, vide leg. 5 § 1 D. *de jure immunitatis* (50.6).

lege, qua illa ratio suffragii ferendi introduceretur in comitiis exemplo institutorum Romanorum, eadem, dico, in Senatui quoque usum tabellarum constitutum fuisse.

Electus erat quem maior pars decurionum suffragiis designaverat, quod perspicue apparet ex Capite 61. legis Mal., ubi decretum maioris partis decurionum ut rite patronus cooptari possit requiritur. Cum tamen in hoc Capite legantur verba: „tres, quos *plurimi* per tabellam *legerint*, causam publicam agant," MOMMSEN Capite 68 exceptionem contineri putavit; dixit enim [1]): „vgl. noch Mal. 68. von der Commissions-Wahl: „quos plurimi legerint," wonach also selbst die relative Majorität der Anwesenden genügte."

Quod si cui verum videtur, statuere cogitur Malacae certam normam constitutam non fuisse in electione a senatu facienda, sed in simili materie tum majoris partis suffragia necessaria fuisse, tum in alia causa electum esse qui plura quam alii suffragia haberet. Id vero statuere non audeo neque verba legis tale quid postulant. Vocabulum „plurimi" positum esse puto pro „plurimi decurionum qui adsunt." Sententia nostra autem confirmatur analogia non tantum ex more Romano, sed ex jure generali quoque municipiorum petita. De illo supra verba facere memini; hoc tamen, etiam si mittam edictum illud Venafri, quo idem erat constitutum [2]), ex Digestis apparet, ubi statutum esse video: „Quod major pars curiae effecit pro eo habetur ac si omnes egerint [3])." Accedit quod in hac ipsa causa, ubi de actore

---

1) In Opere: *Stadtrechte*, p. 413. not. 56.

2) Vide *Inscriptiones* ORELLI no. 6428.

3) Vide leg. 19 D. *ad munic.* (50.1) add. lex 160 § 1, D. *de Regul. juris* (50.16). imprimis leg. 46 Cod. *de decur. et fil.* (10.31.)

eligendo sermo est in ordine municipali, majorem partem postulari ex veterum testimoniis constat [1]). Si praeterea videmus in alia ipsius legis Malacitanae parte majorem partem decurionum requisitam fuisse uti quis eligeretur, dubium esse nequit quin hoc quoque loco eadem pars necessaria fuerit.

Hisce praemissis, videamus de potestate, qua utitur ordo Malacae et Salpensae; magni, ut videtur, momenti sunt complura legum placita quae ad hanc causam pertinent, quorum quae de jurisdictione Senatus agunt ceteris praecellere videntur. Inde igitur incipere fas est.

Capite 66 legis Malacitanae II viris et aedilibus multae dictionem competiisse docemur; neque tamen omni praesidio adversus magistratum qui multam dixit Malacitani destituti sunt: is enim cui multa est imposita, si injusta videatur, provocare potest ad Ordinem. Ita enim legitur hoc loco: „Si cui ea multa dicta aut nomine eius alius postulabit ut de ea re ad decuriones conscriptosve referatur, de ea decurionum conscriptorumve judicium esto.“ Effectus provocationis est ut iudicium magistratus rescindatur aut confirmetur. Si multa dicta a II viro non videatur injusta decurionibus, II vir jubetur in publicum eam redigere [2]).

---

1) Vid leg 3. D. *quod cuiusque univ.* (3.4.) collata lege 19 D. *ad mun. laud. et legibus* 2 et 3 Cod. *de praed. decurionum* (10.33).

2) Cum ita in lege scriptum sit: „Quaeque multae non erunt injustae a decurionibus conscriptisve judicatae,“ LABOULAYE ad hunc locum nonnulla notavit quae refellenda sunt. Ait enim in Opere: *les Tables* p. 48, not. 55; „Ce me semble une expression étrangère aux jurisconsultes. Le judex romain ne prononcait pas comme le notre qu'une demande était injuste; il absolvait le défendeur. Si les decurions jugeaint (et il s'agit ici d'un judicium) la formule devait être semblable.“ Prorsus errare videtur vir cl.; notum est formula qua magistratus judices pedaneos daret clausulam comprehensam fuisse: „si paret condemnato, si non paret absolvito;“ Senatus vero municipalis, ad quem est provocatio cum judice ex formula dato conferri nequit; praeterea novimus in

Non tantum ipse qui multa affectus est sed alius quoque eius nomine, ad curiam provocare potest[1]). Ipsa haec provocatio ad Senatum municipalem est novum quid; ante legem Malacitanam nota non erat; Romae enim, uti recte animadvertit LABOULAYE [2]), provocatio a multis concessa erat, non tamen ad Senatum sed ad populum[3]); hanc postea excepit appellatio Imperatoris [4]).

Neque tamen mirum est Malacae appellationem principis non memorari, nam tum antiqua provocatio tum appellatio principis civibus Romanis competiit[5]); Malacam autem et Salpensam municipia Latina fuisse ostendi. Facile me judice, intelligitur municipi Latino licuisse ad comitia sui municipii provocare, deinde Caesarum tempore, cum provocatio ad populum Romae omnino cessavisset, etiam comitia in municipiis hanc jurisdictionem amisisse et illo tempore provocationem ad Senatum concedi coeptam esse.

Prorsus alia est facultas quae Senatui datur in Capite 62 legis Malacitanae: vetitum erat in municipio Malacitano, ne

---

appellatione extraordinariam cognitionem usu venire, judicium vero non dari. Tantum examinandum est utrum appellatio sit justa necne, inde: utrum multa sit justa necne vid. leg. 2 D. *quis a quo appell.* (49.3), ubi legitur: „Appellari a legatis proconsul potest et si multam dixerit potest *de iniquitate eius cognoscere*, et quod optimum putaverit statuere cf. leg 2 pr. D. *quando appell. sit et intra* (49.4). De cognitione illa verba legis „judicium, judicare" intelligenda sunt.

1) Idem Romae Caesarum tempore invaluerat; cuivis enim, etiam invito damnato, appellatio Caesaris erat permissa; vide ULPIANUM in lege 6 D. *de appel. et rel.* (49. 1). cf. leg. 4 § 2. D. *eiusdem Tit.*

2) In Opere: *les Tables* p. 48, not. 54. Fugit fortasse virum cl. Caesarum tempore nonnunquam provocationem ad Senatum usu venisse, v. g. tempore NERONIS; cf. SUETONIUM in *vita Neronis*, Cap. 17. TACITUM *Annal.* Lib. 14. Cap. 28. add. lex. 1 § 2. D. *a quibus appellari non licet* (49.2).

3) Vide CICERONEM *de leg.* III. Cap. 3.

4) Vide PAULI *Rec. Sent.* 5. 26. 1.

5) Vide locos not. 3. 4. laud.; add. lex, 7, D. *ad leg. Iul. de vi publ.* (48.6).

quis aedificia destrueret quae restituturus non esset. Verba legis audiamus: „Ne quis in oppido municipii Flavii Malacitani, quaeque ei oppido continentia aedificia erunt, aedificium detegito, destruito, demoliundumve curato, nisi decurionum conscriptorumve sententia, cum maior pars eorum adfuerit, quod restituturus intra proximum annum non erit". Ordini igitur haec lex potestatem tribuit immunitatis concedendae ab illa constitutione.

Mirati sunt MOMMSEN et LABOULAYE [1]) legem Malacitanam placitum continere quo prohibeatur demolitio aedificiorum, cum prima eiusmodi constitutio quae innotuerit ad regnum Imperatoris CLAUDII referenda sit.

Revera sub hoc demum Imperatore tale quid invaluit, tunc enim factum est Sctum Hosidianum quo vetabatur, ne quis emeret aedificium in Italia situm [2]) eo consilio ut diruendo plus acquireret quam quanti emisset [3]). Sctum nondum prohibet quominus detraherentur singulae aedificii cuiusdam partes v. g. marmora vel columnae quod ex VESPASIANI demum edicto invaluit [4]). Hoc iuris fuisse videtur in Italia tempore DOMITIANI [5]). Quid mirum, in lege municipali eodem tempore simile quid cautum fuisse?

Lege Malacitana tamen idem non sancitum est atque in

---

1) Vid MOMMSEN *Stadtrechte* p. 398. LABOULAYE in Opere: *les Tables* p. 45 not. 39.

2) Ad totam Italiam spectare Sctum puto propter initium; legitur enim: „Cum providentia optimi principis tectis quoque urbis nostrae et totius Italiae aeternitati prospexerit cet" vid ZELL *Del. Inscript.* no. 1692.

3) De Scto illo cf. BACHOFEN in Opere: *Ausgewählte Lehren des Römischen Civilrechts.* Bonn. 1848. p. 185—203.

4) Edictum VESPASIANI memoratur in lege 2 Cod. *de aed. priv.* (8.10.). Recte de argumento eius disputat BACHOFEN in *Op. l.* p. 223.

5) Post eum praecepta ad eandem causam pertinentia dedit HADRIANUS, quae fuse explicavit BACHOFEN in *Op. l.* p. 204 sqq.

Italia post Sctum illud invaluit; cum enim *hoc* tantum prohiberet ne quis dirueret eo consilio ut plus acquireret [1]), nostra lex nullam detectionem, destructionem, demolitionem permittit, nisi quae fiat restitutionis causa [2]); et ne hoc quidem, nisi intra annum perfecta sit restitutio; latius igitur interdictum legis nostrae patet quam Scti Hosidiani.

Ratio omnium huius generis placitorum, ut obiter addam, fuisse videtur cura, ne publicus aspectus deformaretur, quod diserte apparet ex rescripto ALEXANDRI [3]), quocum conferri meretur Sctum Volusianum in fine, ubi Senatus confirmat Sctum Hosidianum quoniam magis conveniret „cum illo saeculo universa ornari quam partem Italiae ruinis deformem conspici."

Ordo Malacitanus legis immunitatem concedere potest; quod prorsus convenit cum eo quod in Italia juris fuit. Qui enim eximi se optabant a Scto Hosidiano Senatum adibant ut decreto eos adjuvaret; talis decreti exemplum est Sctum Volusianum quo Celsillae Alliatoriae, quae in hunc finem Senatum adierat, petitio conceditur [4]). LABOULAYE l. l. miratur potestatem in hac causa ordini municipali datam; quaero ta-

---

[1]) Non tantum tamen ad eos qui redivivorum venditione lucrum spectabant respicit Sctum sed ad unumquemque qui spe lucri ductus diruit aedificium. cf. *Sctum Volusianum* apud ZELL *Del. Inscript.* no. 1692.

[2]) Restituendum esse aedificium in eandem formam lex nostra non jubet; vulgo in hac re loci consuetudo spectabatur. vid leg. 3 Cod. *de aedif. priv.* (8.10).

[3]) Vide leg 2 Cod. *de aed. priv.* jam laud; add. lex 6 Cod. *eiusd. Tit.*

[4]) Sctum illud mihi ad hanc solam causam spectare videtur, neque verba Scti interpretationem latiorem suadent. Temere de hac re dubitat BACHOFEN in *Op. l.* p. 192 ubi dicit: „Auch der auf das Gesuch der Celsilla ertheilte Bescheid enthält keine Dispensation der Petentin sondern vielmehr eine ganz allgemeine gütige Auslegung des Hosidianum selbst: volligwerthlose Gebäude sollen dem Verbot des Abbruchs nicht unterworfen sein."

men cui melius potestas illa dari potuisset, cum procul dubio Senatus Romanus in urbe Latina ea uti non potuisset.

Postea notum est curatoribus reipublicae mandatam fuisse curam ut cives domus reficerent, quo iussu neglecto ipsius reipublicae sumptibus exstruebantur; quo facto tamen aedificium pignoris loco erat [1]).

Differt quoque a superioribus potestas quae curiae tribuitur in Capite 67 legis Mal. Cum administratio pecuniae publicae magistratibus concessa prorsus fere sit libera in municipiis Flaviis neque magnae sint partes ordinis in ea re, non item de *iis* constitutum est, qui quocunque munere publico functi pecuniam publicam possideant. Ita enim lex Malacitana: „Qui rationes communes negotiumve quod commune municipum ejus municipii gesserit tractaverit is heresve ejus isve ad quem ea res pertinebit in diebus 30 proximis, quibus ea negotia easve rationes gerere tractare desierit, quibusque decuriones conscriptique habebuntur rationes edito redditoque decurionibus conscriptis cuive de his accipiendis cognoscendis ex decreto negotium datum erit."

In hac causa quae sine dubio ad omnes spectat qui negotium publicum gesserunt Senatus municipalis administrationi pecuniae publicae prospicit, rationes accipit haud ita diu post negotium perfectum, neque tamen semper ipse; saepissime evenit ut ad rationes exigendas secundum Caput 68 legis Mal. a curia actores tres eligantur; eo tamen non minuitur auctoritas Senatus in hac causa, cum patronis illis officium incumbat ut tempus ab ordine postulent ad causam cognoscendam, quo praeterlapso de ea re ad curiam referre oportet.

---

1) Vid. l. 46 D. *de damno infecto.* (39.2).

Adhuc ea placita legum nostrarum recensui quae Senatui potestatem separatam tribuunt ab ea quae reliquis in republica ordinibus competit; praeterea tamen adsunt nonnullae causae in quibus potestas magistratuum circumscribitur decreto decurionum; in hisce causis modo Senatus observare debet magistratuum acta, modo requiritur eiusdem consensus ut acta magistratuum rata haberi possint. Itaque illas causas exploremus.

Magistratus liberos fuisse in administratione pecuniae publicae jam monui. Iis, uti postea fusius exponam, locatio vectigalium ultroquetributorum erat mandata. Municipes tamen certiores facere debet locationum quas fecerit, conditionum quas dixerit, quanti quid locaverit; haec omnia ita proposita habere debet, uti de plano recte legi possint. Locum, ubi proponenda sunt, ordo statuit [1]). Quodammodo igitur, licet parvi faciendae sint partes curiae in hac causa, magistratus arbitrium circumscribitur auctoritate illius.

Majoris momenti sunt partes ordinis in patrono municipii Malacitani cooptando. Multum disputatum est de eo, utrum patroni a comitiis in municipiis an a curia creati sint. Neutri hanc facultatem competiisse suo loco ostendere conabor. Secundum legem nostram magistratus cooptat, quod tamen fieri nequit, nisi praecesserit decurionum decretum. Quanti duceretur ministerium ordinis in hac causa probat praeceptum illud, quod invenitur in lege, ut jurati sententiam ferrent; quod firmatur quoque illo legis praecepto, quo cavetur ut cooptationi praecedat decretum decurionum; additur praeterea in fine Capitis 61 legis Mal.: „Is qui adversus hanc legem pa-

---

1) Vide Cap. 63 *legis Mal.* in fine.

tronus cooptatus cuive patrocinium delatum erit, ne magis ob eam rem patronus municipum municipii Flavii Malacitani esto."

Igitur in patrono eligendo nihil quidquam efficere poterat II vir, nisi consensisset ordo.

Memoranda restant placita Capitis 29 legis Salpensanae et Capitis 64 legis Malacitanae quae inter sese, licet argumentum prorsus differat, quod attinet ad Senatus intercessionem cohaerere videntur; eadem enim ratione ordo se magistratuum officiis non immiscet ac supra vidimus; peculiare est hoc loco quod tantum ordo intervenit si absit unus ex II viris; igitur in illis causis quibus lex utrique II viro potestatem tribuit ordo supplet absentiam alterutrius [1]). De utraque causa videamus.

In Capite 29 legis Salp. II viro tutoris datio injungitur; neque tamen solus tutorem dare potest, sed „de omnium collegarum sententia, sive unum sive plures collegas habebit;" causa demum cognita tutelam deferre potest. Quum tamen, alterutro ex IIviris absente, numquam tutor dari potuisset hoc legis placitum municipibus multas molestias struxisset; remedium vero ipsa lex offert; ita enim legitur: „Si is a quo postulatum erit non habebit collegam, collegave eius in eo municipio intrave fines ejus municipii nemo erit, causa cognita, in diebus X proximis ex decreto decurionum .... tutorem dato."

Decretum decurionum requiritur neque sine eo valet tutoris datio. Eiusmodi fere placitum memoratur in Capite 64

---

[1]) Ratio legis in promptu est: Si enim adsit uterque IIvir sibi invicem intercedere possunt; cf Cap. 27 *legis Salp.*; quod si absit alteruter, nulla intercessio usu venire potest, cum minoribus magistratibus interdicta sit intercessio in rebus a majoribus gestis; igitur ne arbitrio unius IIviri omnia relinquerentur, prudenter interventus ordinis constitutus videtur.

legis Mal.; IIviris enim ambobus praedum venditio mandata erat si obligatio erga rempublicam contracta committeretur, neque praedes debitoris obligationi satisfecissent. Alterutro tamen IIviro absente, decretum ordinis necessarium est ut alter vendere possit praedes, legesque venditioni dicere.

Superest ut legis Salpensanae partem attingam, ubi ordo municipalis potestate plane peculiari munitur.

In Capite enim 28 eius legis de manumissione apud II virum agitur. Regula esse videtur unumquemque municipem Latinum manumittere posse. Lex Salpensana tamen quodammodo facultatem nonnullorum restringit; personae enim quae sive propter defectum aetatis sive propter sexus infirmitatem prohibentur quominus ipsae suo jure res suas agant auctoritate tutoris indigent; praeterea ratione eius qui minor est 20 annorum manumissio tum demum rata est, „dum .... ita manumittat, si causam manumittendi justam esse is numerus decurionum, per quem decreta facta hac lege rata sunt, censuerit." Hoc placitum solum huc pertinet, cum ibi tantum decretum ordinis requiratur.

Ordo fungitur vice consilii in manumissione; quod prorsus ignotum erat ante legem nostram. Analogia consilii causam manumissionis probantis in Jure Romano in promptu est, illudque placitum in legem Salpensanam ex jure Romano migrasse dubio caret [1]).

---

[1]) Consentiunt de hac re interpretes; vide MOMMSEN, *Stadtrechte* p. 413 not. 57. cf. p. 437. DERNBURG in *Commentat. l.* p. 90 et LABOULAYE, in Opere: *Les Tables*, p. 24 not 36. Negat tamen DIRCKSEN in *Commentatione Annalibus Acad. Berol. inserta* p. 701, 702, ubi contendit praeceptum quod continetur hac lege exemplo fuisse iis qui legem Aeliam Sentiam tulerunt: aliis verbis ex jure Latino Romanos eiusmodi constitutionem accepisse. Argu-

In Capite enim secundo legis Aeliae Sentiae, quam aliquot annis abhinc egregio commentario instruxit Cons. ZUBLI [1]), cautum erat fere hoc: „Minori viginti annorum servum ancillamve, nisi causa apud consilium approbata, vindicta manumittere jus ne esto" [2]). Consilii illius Romae in urbe participes erant 5 senatores et 5 equites; in provinciis 20 recuperatores cives Romani [3]). Ministerio hujus consilii fungebatur Salpensae ordo municipalis [4]). Quae autem fuerit causarum illa

---

menta eius tamen mihi non persuaserunt; dicit quidem auctor: „Man würde sonst nicht begreifen dasz dem Nachbildner dieses Gesetzes die durch dasselbe auch für den manumittendus unter dreiszig Jahren vorgeschriebene causae probatio hätte entgehn können;" gravis tamen non videtur haec objectio; nam alio fortasse Capite legis praeceptum illud continebatur; caeterum ab hoc loco (Cap. 28) prorsus aliena fuisset haec sanctio cum hic de iis tantum quae requiruntur in personis *manumittentium* sermo sit. Praeterea nullam causam invenio propter quam caput illud secundum quoque legis Aeliae Sentiae legem Salpensanam continere oportuisset.

1) In *Dissertatione Jurid. Inaug.* Lugduni Batavorum anno 1861 defensa. De Capite secundo ibi disputat p. 70—74.

2) Ita ZUBLI textum legis collato GAIO I, § 38 probabiliter restituit.

3) Vide GAIUM I, § 20. ULPIAN. I, § 13.

4) LABOULAYE hoc legis placitum magnopere miratus est; postquam pauca de consilio legis Aeliae Sentiae locutus est, addit: in Opere: *Les Tables*, p. 24 not 36: „Mais toujours en vertu du caractère absolu des magistratures romaines, c'était le proconsul ou le préteur qui formait le consilium. Ici, au contraire, comme dans des législations modernes, c'est un pouvoir indépendant du magistrat, c'est le sénat municipal qui vérifie les conditions d'émancipation." Vir cl. ni fallor, in errorem incidit inde ortum, quod consilium praetoris ex tempore liberae reipublicae non distinxit a consilio cui lege Aelia Sentia probatio causae manumissionis erat mandata. Multum tamen intererat; illud enim consiliis tantum praetorem judicantem adjuvabat; hoc vero ipsum causas examinabat easve justas vel injustas judicabat; quae cum ita sint, partes consilii legis Aeliae Sentiae et ordinis Salpensanae in hac causa diversas fuisse non puto. Cf. GIRAUD in *Op. l.* p. 113, 114.

Dr. ASHER quoque (p. 122 *Comment. laud.*) eiusmodi objectionem proposuit. Dicit „L'auteur des Tables s'est figuré que le consilium de la loi Aelia Sentia était le conseil municipal. GAIUS, ULPIEN, THÉOPHILE lui auraient dit que c'est le conseil des vingt récupérateurs qui assistent le proconsul dans sa juridiction;" et paulo post: „il a commis aussi l'énormité d'attribuer des fonctions judiciaires aux décurions de Salpensa."

probatio vocabulum ipsum indicare videtur: Ordinis erat explorare num justae essent manumissionis causae, quarum multas Icti memoriae tradiderunt [1], iisque justis judicatis [2], manumissionem permittere. Causam allegatam probare debebat ipse dominus, sive procurator eius, si ipse abesset [3].

Itaque, opinor, omnia quae de Senatu municipali ex legibus Flaviis cognoscere licebat explicavi, eoque jam progressus esse videor ut inquirendum sit quae potestatis partes magistratibus municipalibus hisce legibus deferantur.

CAPUT III.

DE MAGISTRATIBUS.

Magistratus ordinarii, quorum hic illic jam mentionem feci, Malacae et Salpensae erant sex, scilicet bini II viri, eodem

---

In municipio Salpensano cur non consilium lege Aelia Sentia introductum causas manumissionis probet, sed contra decurionum collegium, satis superque indicavit atque demonstravit GIRAUD, quem vide in *Opere laud.* p. 110 et 115. Quod igitur consilium illud non memoratur in lege nostra non probat auctori placitum legis Aeliae Sentiae ignotum fuisse.

Neque mihi tam mirum videtur ordini quodammodo judicis potestatem tributam esse; notum enim est ordinem quoque judicare utrum multae sint justae necne (vid. Cap. 66 *legis Mal.* et quae disputavi ad hunc locum), etiam ordini nonnunquam actus jurisdictionis voluntariae competebat v. g. si servus municipii manumittendus esset, vid. leg. 1 et 2 Cod. *de serv. reipubl. manumit.* (7.9).

1) Vide GAIUM, *Comm.* I § 19, § 39, addantur leges 9 pr., 11, 12, 13 D. *de manum. vindicta* (40.2)

2) ULPIANUS nobis normam tradit quam in causis probandis judices observare oportebat. Vide l. 16 D. *eiusd. Tit.*

3) Vide leg. 15 § 3 D. *de manum. vind.* (40.2).

que numero aediles et quaestores; de ordinariis tantum dico, nam in locum absentis IIviri, sive ab Imperatore praefecti juri dicundo eligebantur nonnunquam.

Qui magistratu sive honore [1]) fungitur ei administratio reipublicae competit; ne tamen quaeque reipublicae administratio honor sit habendus, facit distinctio honorum et munerum, quae ita differre docemur, ut honori gradus dignitatis accedat, qua careant ii qui munere quodam fungantur [2]).

Magistratibus qui in municipiis Flaviis aderant, diversa officia incumbebant, potestasque etiam eorum prorsus erat diversa. Hujus ratione habita quodammodo magistratus municipales imaginem referunt honorum quos Romae fuisse notum est. Differebant quoque magistatus municipales dignitatis gradu, quod ex legibus nostris diserte apparere potest. Malacae et Salpensae, uti vulgo in municipiis [3]), honor IIviratus ceteris praecellit, quod non tantum probatur Capite 54 legis Malacitanae, ubi cavetur ut comitia IIviris creandis habeantur ante ea quibus aediles vel quaestores creantur [4]), quod dignitatis causa factum esse puto, sed imprimis illud testatur lex Salpensana, ubi [5]) IIviris quidem permittitur ut intercedant actis aedilium et quaestorum, non item his quae a IIviris gesta sunt; unde

---

[1]) Quod fere est idem; vide GAIUM I, 96; addatur lex 11 D. *de pollicitatione* (50.12).

[2]) Vide leg. 14 pr. et § 1 D. *de mun. et hon.* (50.4).

[3]) Vide leg. 1 pr. D. *de alb. scrib.* (50.3). Vide album Canusinum apud ZELL, *Del. Inscr.* n°. 1764; cf. ZUMPT, *Comment. Epigraph.*, I, p. 67.

[4]) Ibi enim legitur: „Qui comitia habere debebit is *primum* IIviros *deinde* proximo quoque tempore aediles item quaestores creandos curato." De usu Romanorum in hac re cf. PSEUDO-ASCON. p. 136 ad. CICERON. Act. I *in Verrem*. Cap. 8.

[5]) Verba Capitis 27 sunt: „Qui IIviri aut aediles aut quaestores sunt, his IIviris inter se *et cum aliquis alterutrum eorum aut utrumque ab aedile aedilibus aut quaestore quaestoribus appellabit.*"

summo jure, si regulam juris Romani cogitemus: „Par majorve potestas plus valeto" [1]), efficitur aediles et quaestores neque pari neque majore sed minore honore functos esse quam IIviros.

Ex legibus non patet utrum major honor aedilitas quam quaestura habita sit necne, neque ex Capite 54 legis Mal. neque ex Capite 27 legis Salp. illud effici posse videtur. Solum hoc animadvertendum, ubique in monumentis ubi conjunctim memorentur, aedilium mentionem fieri ante quaestores.

Antequam de potestate diversa magistratuum dico, examinandum est quibus licuerit honores gerere. Non omnes Malacae et Salpensae magistratu fungi possunt; nonnullorum IIvir qui comitia habet rationem habere non potest. Prouti autem diversi sunt honores, diversa quoque requiruntur in personis eorum qui unum alterumve magistratum petant; nihilominus omnibus candidatis, quemcunque honorem petant, est conditio necessaria ut sint ingenui.

Hoc placitum convenit cum jure noto; lex Visellia enim libertinos arcebat a petitione magistratus [2]). Praeceptum legis Viselliae quodammodo lege Malacitana restringitur ad certam classem ingenuorum; lego enim in Capite 54: „Qui comitia habere debebit is primum IIviros ex eo genere ingenuorum hominum de quo hac lege cautum comprehensumque est, deinde proximo quoque tempore aediles, item quaestores ex eo genere ingenuorum hominum de quo hac lege cautum comprehensumque est creandos curato." Itaque tam eos qui IIviratum quam aedilitatem vel quaesturam peterent in numero

---

1) Vide CICERONEM, *de Leg.* Lib. 3 Cap. 3 initio et 4.

2) Vide leg. unicam. *Cod. ad legem Viselliam* (9.21).

ingenuorum esse oportebat, de quo in alia legis parte erat cautum, quam graviter dolemus aetatem non tulisse.

In parte Capitis sequenti recensentur causae diversae propter quas a diversis magistratibus arceantur nonnulli. Ita cautum est in lege: „dumne (praecedunt verba modo laudata) cuius comitiis rationem habeat [1]), qui II viratum petet, qui minor 25 annorum erit quive intra quinquennium in eo honore fuerit; item qui aedilitatem, quaesturamve petet qui minor annorum 25 erit, quive in earum qua causa erit propter quam si civis Romanus esset in numero decurionum conscriptorumve eum esse non liceret." Legis verba quae hac Capitis parte continentur ad singulos magistratus pertinent [2]), et ad diversa quae in personis singulorum candidatorum requirantur; nihilominus hoc loco omnibus omnino eandem aetatem statutam videmus. Quicumque enim est minor 25 annorum a petitione cuiuscumque magistratus arcetur, praefectura excepta, de qua mox agam. Aetas 25 annorum eadem erat quae omnino in hac causa praescripta erat in municipiis [3]), eadem quoque quam Imperator AUGUSTUS senatoribus et quaestoribus constituerat [4]). Ita Romae non semper fuit. Aetas qua CICERO aedilitatem, praeturam, consulatum accepit, jure, ut videtur pro norma aetatis habetur, qua honores deferri solerent. Narrat enim [5]) se

---

[1]) Ratio non haberi vulgo dicitur eius qui excluditur a numero petentium ab eo qui comitia habet; vide LIVIUM Lib. 7. Cap. 22; 8 Cap. 15; 27 Cap. 6. Eandem dicendi rationem habet tabula Heracleensis, vide Cap. 9; cf. DIRCKSEN in Opere: *ad tab. Heracl.* p. 165, 166.

[2]) Me judice enim procul dubio *verba* quae ad finem Capitis leguntur: „quive in earum qua causa erit," etc. tantum ad aediles et quaestores referri possunt neque ad IIviros spectant; verba legis tantum significare possunt: Arceantur ab aedilitate et quaestura, qui minor est 25 annorum vel is qui in earum qua causa erit etc. [3]) Vid. leg. 8. D. *de mun. et hon.* (50.4).

[4]) Vide DION. CASS. Lib. 51. Cap. 20.

[5]) In Orat. *de lege agrar.* II, Cap. 2.

consulatum petiisse cum primum licitum esset; si hisce verbis jungatur quod alibi dixit [1]: „se suo anno honores adeptum esse," statuere licet aetatem qua ille honores adeptus sit legitimam fuisse [2]. Aetatem illam lege Villia annali constitutam fuisse verisimile videtur [3].

De aetate quae in municipiis requireretur verbo jam dixi; in lege Julia municipali, licet sane, ut in lege nostra, eadem aetas omnibus praescripta esset, qui qualemcunque magistratum peterent, tamen annus differebat; constituta enim erat aetas 30 annorum [4].

Ad extraordinarios magistratus non spectant praecepta huius Capitis; in Capite autem 25 legis Salpensanae paucae memorantur conditiones, quibus qui non respondeant relinqui non possint praefecti a IIviro.

Rationem enim eius habere nequit IIvir qui minor sit 35 annorum; miretur fortasse quis aetate 25 annorum IIviro statuta, praefecto, qui eius vice fungatur, aetatem 35 annorum praescriptam esse. MOMMSEN vero probabilem causam allegavit, dicens [5]: „Es ist deswegen geschehn weil das Mandirungsrecht des Beambten verfassungsmäszig weit eher sich beschränken liesz, als das Wahlrecht der Gemeinde."

Romae praefecto urbi eadem aetas non erat statuta; nonnunquam ea aetate fuit aliquis praefectus quae non erat senatoria [6]. Neque eius ratio haberi poterit qui non sit decurio,

---

1) In libro II *de Officiis* Cap. 17.

2) CICERO anno aetatis 37 aedilitatem, anno 40 praeturam, anno 43 consulatum adeptus est.

3) LIV. Lib. 40. Cap. 44.

4) Vide *legis Jul. mun.* Caput 6.

5) In Opere: *Stadtrechte* p. 418.

6) Vide GELLIUM, *Noct. Att.* 14, 8.

ex iis enim IIvirum relinquere oportet praefectum. Praeter has nullae prorsus conditiones creandi praefectum in lege memorantur; obliviscendum tamen non est praefectum IIviri ex numero decurionum relinquendum esse, ideoque necesse est ut ea conditione sit ut curiae particeps fieri possit.

Recte ALPHONS RIVIER [1]) animadvertit a praefecto IIviri cautionem non exigi quia periculo IIviri magistratum gerat.

In praefecto Caesaris [2]) nihil est quod requiratur; imperator neque ex ordine praefectum eligere tenetur neque minorem 35 annorum relinquere prohibetur; neque praefectus Caesaris jusjurandum praestare cogitur.

Omnium horum placitorum, quae privilegia continent praefecti Caesaris, ratio esse videtur quod semper idoneus existimetur qui ab Imperatore praefectus creatus sit. Eadem est ratio cur errare censeam virum cons. RIVIER contendentem a praefecto Caesaris cautionem exigi de pecunia publica, ne dicam de silentio legis Salp. quod eius opinioni etiam contrarium sit. Denique prorsus improbabile mihi videtur ei qui periculo Imperatoris magistratum gereret (nam ab eo mandatam potestatem accepit praefectus) cautionem praestandam fuisse, quae remittatur praefecto qui periculo IIviri fungatur.

Sequuntur praecepta, ad singulos magistratus pertinentia.

Qui enim intra quinquennium IIviratum gesserat a petitione huius magistratus arcebatur; ratione aedilitatis et quaesturae idem cautum non erat, quia fortasse hosce minores honores semel jam gestos nemo iterum peteret.

Quid autem sibi vult tale praeceptum IIviro datum? Puto

---

[1]) In Opere: *Untersuchungen über die Cautio praedibus praediisque*, Berlin 1863, p. 47, 48.

[2]) Vide caput 24 *legis Salpensanae.*

eiusmodi constitutiones, quae vacationem inter eosdem honores praescriberent, ideo datas esse ne in republica nimiam potestatem magistratus (imprimis qui summi essent) adipiscerentur; postea, praesertim in municipiis, cum honores jam fierent onera, alia fuit ratio eiusmodi praescriptorum.

LABOULAYE reprehendit legem Malacitanam aliud spatium statuentem inter honores quam alibi intercessisse notum fuerit. Dicit: „Dans les municipalités au temps d'Ulpien il n'y a d'autre défense que de continuare honorem [1]." Re vera hoc variis Ictorum testimoniis confirmatur [2]; attamen monere sufficiat cuiuscunque civitatis legem sibi proprium quid statuere posse; addendum insuper in constitutione GORDIANI simile praescriptum dari atque in lege nostra [3]. Romae tempore reipublicae intra decennium eosdem honores capere non licebat [4].

Antequam ad eos qui aedilitatem et quaesturam petunt transimus, quaestionem attingere liceat, utrum nemo Malacae et Salpensae ad IIviratum petendum admissus sit, nisi qui minores magistratus gessisset necne; aliis verbis num fuerit in municipiis nostris certus ordo magistratuum. MOMMSEN affuisse putat; DERNBURG contra negat; probabilem duco opinionem illius; aliis tamen argumentis nitor [5].

---

[1]) In Opere: *les Tables*, p. 40 not. 14.

[2]) Vide leg. 18 D. *ad mun.* (50.1) et leg. 14 § 5. in fine D. *de mun. et hon.* (50.4).

[3]) Vide leg. 2 Cod. *de mun. et hon. non contin.* (10.40).

[4]) Vide LIV. Lib. 7. Cap. 42. Postea hoc mutatum est; vide BECKER-MARQUARDT 2.2. p. 30, 31.

[5]) MOMMSEN ex ipsa lege effecit certum ordinem fuisse; haec sunt eius verba: (*Stadtrechte* p. 415). „Ebenso wird die gesetzliche Aemterstaffel wohl vorausgezetst;" et pergit in not. 65 l.l. „Vorausgesetzt Mal. 54, denn dass hier der als ehrlos unfähige Candidat nur von der Bewerbung um die Aedilitat oder die Quaestur zurückgewiesen wird kan doch nur den Sinn haben dass er dadurch mittelbar

Nullum in ea parte legis Malacitanae vel Salpensanae quae ad nos pervenit placitum adest, opinor, quod doceat certum illum ordinem affuisse, sed si analogiam aliorum municipiorum et Romae spectamus, jure contendat quis simile quid etiam Malacae et Salpensae invaluisse.

In Digestis complures inveniuntur leges, quibus honores gradatim deferendi esse statuuntur; v. g. in lege 14. § 5. D. *de mun. et hon.* (50.4) verba leguntur: „Gerendorum honorum non promiscua facultas est sed ordo certus huic rei adhibitus est: nam neque prius majorem magistratum quisquam, nisi minorem susceperit, gerere potest, neque ab omni aetate, neque continuare quisque honores potest [1]).“

Romae quoque certus honorum ordo constitutus erat, quod jam sequitur ex diversa aetate quae singulis magistratibus erat definita [2]). Incipiebant petere quaesturam Romani, summus honor erat consulatus. Semper tamen et in omni causa illum ordinem non observatum fuisse constat [3]). Hisce omnibus collatis, certum ordinem illum in municipiis nostris quoque statutum fuisse censeo.

---

auch ausgeschlossen wird vom Duovirat.“ Eandem sententiam tuetur DUBOIS in *Op. l.* p. 110. et ibid. not. 2. Opinio eorum igitur conjectura nititur, interdictum legis de quaestura et aedilitate petenda per consequentiam quoque ad candidatum IIviratus spectare. Quo tamen fundamento nititur haec conjectura? Nescire me fatendum; nam ipsa lex Malacitana talem explicationem vetare videtur. Uti enim jam monui, praescripta quae ad qualemcunque honorem petentes respiciunt collocata sunt in prima legis parte. Si hoc quoque praescriptum de quo agit MOMMSEN ad omnes magistratus spectaret in illa quoque parte legis cautum esset, nisi affuerit certus ordo magistratuum, tum enim in lege recte illa clausula ad minores tantum magistratus refertur, cum eo ipso IIviri quoque comprehendantur. Puto auctorum disputationem redire ad petitionem principii.

[1]) Cf. legem 11 pr. D. *eiusdem Tit.*

[2]) Cf. CICERONEM in Orat. *de lege agraria*, II. Cap. 9.

[3]) Vide CICERONEM in Orat. *pro Plancio*. Cap. 21.

Neque in opinionem contrariam adductus sum disputatione viri cl. DERNBURG [1]). Ait: „Vielmehr spricht entschieden gegen ihr (sc. certi ordinis) Bestehen, dasz das Gesetz nicht nur für die Quaestur und Aedilität den Antritt des 25 Jahres fordert sondern dasselbe Alter ausdrücklich als Bedingung für die Bekleidung des Duovirats verlangt." Quod voluit auctor, non inde necessario sequitur, nam si in lege statuatur, modo majorem 25 annis IIviratum petere posse inde non sequitur nihil aliud in persona petentis requiri.

Quod cum ita sit, probabile est certum ordinem illum viguisse ideoque praeceptum illud legis ne quis eligeretur aedilis vel quaestor „qui in earum qua causa erit, propter quam si civis Romanus esset in numero decurionum conscriptorumve eum esse non liceret," ad candidatos quoque IIviratus extendere licet.

In confesso est hoc Capite de candidatis Latinis sermonem esse; caeteroquin verba: „si civis Romanus esset" nihil quidquam significarent. Respicitur hoc loco ad caput legis Juliae municipalis supra [2]) allegatum, ubi qui quaestum sordidum habent vel vitam turpem degunt a decurionatu arcentur; iidem quoque a magistratu gerendo arcentur illa lege [3]).

A candidatis IIviratus et quaesturae quippe qui pecuniam publicam tractent sive erogandam decernant, ut eorum comitiis ratio haberi possit, cautio exigitur. Legitur enim in Capite 60 legis Malacitanae: „Qui in eo municipio IIviratum quaesturamve petent, quisque eorum, quo die comitia habebuntur, antequam suffragium feratur, arbitratu eius qui ea comitia

---

1) In *Commentat. supra laud.* p. 78. 2) *Diss.* p. 65. not. 5.
3) Vide Caput 10 initio.

habebit praedes in commune municipum dato, pecuniam communem eorum, quam in honore suo tractaverit, salvam iis fore." Perspicuum est praestationem cautionis condicionem esse sine qua nullius ratio haberi possit; jubentur enim illi candidati cavere, *antequam suffragium feratur.*

Dubitatio autem de hac re si qua sit, prorsus tollitur si conferamus clausulam ejusdem Capitis, ubi verba leguntur: „Per quem eorum de quibus IIvirorum quaestorumve comitiis suffragium ferri oportebit, steterit quo minus recte caveatur, *ejus* qui comitia habebit *rationem ne habeto*" [1]).

Mirum non est IIviris et quaestoribus neque tamen aedilibus hanc cautionem praestandam esse; illi enim soli gerunt in republica [2]); aediles autem Malacae sese administrationi pecuniae publicae immiscere non possunt [3]).

De ipsa cautione, quae fuerit disquisitionem instituere huius loci non est; sufficit monere cautionem requisitam fuisse ut eius qui IIviratum vel quaesturam peteret Malacae comitiis ratio haberi posset.

---

[1]) Hanc causam quae me judice nullum dubium relinquit fortasse non attigissem, nisi nuper Dr. RIVIER in *Opere laud.* p. 49. aliam sententiam proposuisset; dicit enim: „Nur eins ist hervor zu heben, nämlich dass die Leistung der Caution *nach* der ersten Beeidigung seitens dessen qui comitia habet, und *vor* der Renuntiation statt findet. Beides, Schwur und Caution ist nothwendige Vorbedingung der Renuntiation." Contendit igitur tum demum cautionem esse praestandam cum quis electus sit et juraverit. Lex Malacitana (Cap. 60) tamen, uti apparuit, totidem verbis contrarium dicit. Ansam fortasse dederunt opinioni viri cons. RIVIER verba Capitis 57 legis Malacitanae, ubi quum de suffragiis singularum curiarum enumerandis agitur, adduntur haec: „et uti quisque prior majorem partem curiarum confecerit eum cum hac lege juraverit caveritque de pecunia communi factum creatumque renuntiato;" negligenter haec periodus concepta esse videatur; de sententia tamen legis, si conferatur Cap. 60 legis Mal. dubitari nequit.

[2]) Vide leg. 2 pr. et § 1 D. *ad mun.* (50,1).

[3]) Quod diserte apparet ex Capite 66 *legis Mal.*

Neque eiusmodi cautio in municipiis *nostris* tantum requirebatur; in Digestis enim saepius mentio est cautionis praestandae a magistratibus municipalibus [1]; Romae tamen, ut videtur, rem publicam salvam fore ut caveretur non exigebatur; nusquam enim refertur de cautione a magistratibus data. Causa fortasse fuit, quod non facile praedes satis locupletes inveniri potuissent ad magnas pecuniae summas praestandas, quas magistratus Romani tractabant. Num igitur sine ulla cautione pecunia publica Romae magistratibus committebatur? Nemo hoc contendet. Meminisse tamen oportet magistratus Romae tam liberos non fuisse in republica gerenda quam Malacae eos fuisse apparebit. Senatus enim eorum administrationi prospiciebat, imo sine iussu Senatus quicquam ex aerario praeterquam consulibus solvere quaestores prohibebantur [2]. Praeterea honoris gesti rationes exigi ipsique accusari poterant [3]. Hoc modo, quamvis cautio Romae desideraretur, praesidium tamen paratum erat contra fraudem vel nimiam magistratuum profusionem vel negligentiam.

Eo progressus sum ut in variam potestatem variaque officia magistratuum municipalium inquiram. Prorsus in hac causa differunt inter se IIviri, aediles et quaestores, nonnulla tamen legum placita ad omnes referenda sunt.

Omnes magistratus Malacae annui erant praeterquam si in locum alterius erant creati [4].

---

[1] Vide leg. 2 § 5, leg. 11 pr., leg. 17 D. *ad munic.* (50.1) et legem unic. Cod. *de periculo eorum qui pro mag.* (11.34); addatur lex 68 pr. D. *de fidejussoribus* (46.1).

[2] Vide POLYBIUM, 6, Cap. 12, 13.

[3] Cf. LIV. 3, 31. 4, 44. De hoc argumento vide E. LABOULAYE, in Opere: *Les Lois Criminelles des Romains*. Paris 1845.

[4] Vide Cap. 52 *legis Mal.*

Item tam a IIviro quam ab aedile et quaestore exigitur jusjurandum de quo sermo est in Capite 26 legis Salpensanae, quo loco ita cautum est: „IIviri qui in eo municipio juri dicundo praesunt, item aediles qui in eo municipio sunt, item quaestores qui in eo municipio sunt, eorum quisque in diebus quinque proximis post hanc legem datam, quique IIviri, aediles, quaestoresve postea ex hac lege creati erunt, eorum quisque in diebus quinque proximis ex quo IIvir aedilis, quaestor esse coeperit, priusquam decuriones conscriptive habeantur, juranto pro contione per Jovem et dium AUGUSTUM et divum CLAUDIUM et divum VESPASIANUM AUGUSTUM et divum TITUM AUGUSTUM et genium DOMITIANI AUGUSTI Deosque Penates: se quodcunque ex hac lege exve re communi municipum municipii Flavii Salpensani censeat, recte esse facturum neque adversus hanc legem remve communem municipum ejus municipii facturum scientem dolo malo, quosque prohibere possit prohibiturum [1]..... neque se aliter sententiam dicturum quam ut ex hac lege exque re communi municipum ejus municipii censeat fore". [2])

Formula huius jurisjurandi saepius praeterquam hoc loco in legibus Flaviis legitur, scilicet in Capite 25 legis Salp. et Capite 59 legis Mal; ibi quoque qui praefectus relinquendus

---

[1]) De periodo quae nunc sequitur: neque se aliter concilium habiturum neque daturum quam" etc., hoc loco non dico, quia, quamvis ex legis *verbis* consequi videatur omnes magistratus ita jurare, non puto aediles et quaestores Senatum habere vel dare potuisse; animadvertas etiam legem Malacitanam (Cap. 68) IIviris tantum facultatem illam impertire. Etiamsi absint IIviri, aediles et quaestores non habent Senatum, nam praefectus eligitur qui eodum jure esse jubetur ac IIvir exceptis sc. excipiendis; igitur praefectus quoque Senatum habere et dare debet. Procul dubio negligentis orationis hic locus testimonium est.

[2]) De sententiis a magistratibus dicendis supra jam disputavi. vid. *Diss.* p. 70, not. 3.

sive magistratus creandus est jurat per Jovem, per omnes Imperatores inter divos relatos, per genium Imperatoris regnantis Deosque Penates.

Eadem, si aetatem teneas legis latae [1]), est formula in lege quae exstat in tabula Bantina [2]); praeterea ex Digestis apparet non solum Romanos per deos jurare solitos fuisse [3]), verum etiam per genium Principis regnantis [4]).

Lex Salpensana accurate definit quando et quomodo jusjurandum illud praestandum sit magistratibus municipalibus. Diserte in lege cautum est id praestandum esse pro contione [5]) i. e. in publico; constat hoc alibi quoque esse factum: in tabula Bantina jurare debent magistratus palam luci in forum versus. Terminus quoque intra quem jurandum esset lege Salpensana statuitur; qui enim honores gerunt tempore quo lex fertur intra 5 dies post legem latam jurare debent, qui postea creabuntur in diebus 5 proximis ex quo magistratus creati erunt. Idem est jusjurandum de quo in hoc Capite sermo est quod Romae vocabatur jusjurandum in leges [6]). Compluribus legibus antiquis, inter quas memoranda est hoc loco lex quae tabula Bantina [7]) continetur, clausula comprehenditur, ut intra

---

[1]) Tempore reipublicae lata est, ideoque ibi juratur per solum Jovem Deosque Penates.

[2]) Vide Caput 3 huius legis apud ZELL, *Delect inscr.* no. 1684; de hac lege conferri meretur GÖTTLING in Opere XV *Römische Urkunden* p. 44—48.

[3]) Vide ULPIANUM in lege 33 D. *de jurejurando* (12.2) cf. leg. 3. § 4. leg. 4 et 5 pr. D. *huius Tit.*

[4]) Vide leg. 13. § 6. D. *eiusdem Tit.*

[5]) Vide LABOULAYE qui hanc dicendi rationem reprehendit in Opere: *les Tables* p. 23. n. 126. contra tamen GIRAUD in *Op. l.* p. 56, 57. Praeterea cf. LIVIUM Lib. 42. Cap. 10, ubi consul narratur edicere *pro contione.*

[6]) Memoratur apud LIVIUM Lib. 31 Cap. 50, Lib. 29 Cap. 37.

[7]) Vide legis caput secundum.

5 dies magistratus jurent; sed leges quae clausulam illam habebant, ne in singulas jurare cogerentur, colligebantur et ita in leges jurare magistratus dicebantur.

Accedit placitum in lege Salpensana magistratibus jurandum esse antequam decuriones habeantur, unde, me judice, apparet eos gerere non potuisse magistratus, nisi jusjurandum fuerit praestitum. Non puto enim multa tantum affectos esse qui non juravissent [1]), sed non possum non statuere iis revera non licuisse Malacae vel Salpensae magistratum gerere [2]). Prorsus mirum enim videtur eum qui multam solvisset praescriptum legis de jurejurando negligere potuisse pecuniamque publicam omniaque negotia ei commissa fuisse qui jusjurandum illud omittens probavisset se male affectum erga patriam esse. Attamen quod majoris momenti est ipsius legis periodus modo laudata quaestionem solvere videtur.

Succurrit in hac quoque causa analogia institutorum Romanorum. Multa sane etiam Romae puniebatur tempore reipublicae is qui non praestiterat illud jusjurandum [3]), praeterea vero magistratu fungi non permittebatur [4]). Quod eadem tabula Bantina confirmatur, qua cautum est: „Qui ex hac lege non juraverit, magistratum imperiumve ne petito neive gerito neive habeto" cet.

Argumentum ipsum jurisjurandi quod huc pertinet multis persequi non opus est. Sunt generales quaedam verborum conceptiones, quae eo redeunt ut jurent magistratus

---

[1]) Cavetur in lege (Cap. 26 in fine): „qui ita non juraverit is sestertium X millia municipibus ejus municipii dare damnas esto."

[2]) Aliter MOMMSEN *Stadtrechte* p. 429.

[3]) Vide CICERONEM *pro Cluentio* Cap. 33. Cf. LANGE *Röm. Alterthümer* 1, p. 521.

[4]) Cf. LIVIUM, Lib. 31. Cap. 50.

se ad salutem reipublicae honorem gesturos et nihil sese contra legem facturos. Si de potestate et ministerio magistratuum quaeramus, ipsum jusjurandum multum nobis non proficit, praestat inquirere in praecepta hisce legibus singulis magistratibus data: in eo autem ordo servandus ille videtur, quem ipsa honorum successio indicat.

Itaque deinceps de IIviris et de extraordinariis magistratibus qui eorum loco funguntur sc. de praefectis, de aedilibus, quaestoribusque agendum erit.

---

§ 1. De IIviris.

IIviratus, uti obiter jam monui, summus erat honor municipalis, quod maxime, ut cetera mittam, apparet ex potestate quae illis tribuitur: praesunt enim jurisdictioni; cum qua iungitur jus multae dicendae et tutoris datio; habent jus comitiorum et senatus convocandi, patronum cooptant; gerunt in republica, vectigalia ultroquetributa locant et ordinem legunt, denique iis quoque licet potestatem suam mandare.

Quae cum ita sint, summo jure hisce verbis potestatem IIvirorum describere videtur KÜHN [1]): „Die bezeichneten Würden sind hiernach dem Consulat vor Absonderung der Prätur und Censur zu vergleichen." Dum enim praetor Romae jus dicit, censor vero senatum legit, imprimisque ei cura pecu-

---

[1]) In Opere: *Der Städtische Senat*, p. 241.

niae publicae mandata est, Malacae hisce omnibus IIviri sunt praepositi.

De singulis videamus.

IIviri, qui vulgo numero sunt duo, uti ipsum nomen jam indicat [1]), pari potestate utuntur; dignitate vero minor natu majori cedit. Exemplum exstat in Capite 52 legis Mal., ubi legitur: „Ex IIviris qui nunc sunt, item ex iis qui deinceps in eo municipio IIviri erunt uter major natu erit, aut, si ei causa quae inciderit quominus comitia habere possit, tum alter ex his comitia habeto." Romae quoque majore honore ac dignitate gaudebat consul major natu [2]), et licet recte animadvertat LABOULAYE [3]) Romae sortem indicasse uter ex consulibus haberet comitia [4]), aequum tamen videtur hoc institutum, nec contrarium legibus Romanis.

Saepius IIviri ornantur cognomine „juri dicundo", quoniam jurisdictio quam habebant, in municipiis maxima fere erat eorum potestas.

IIviris competebat jurisdictio quae dicitur civilis ut distinguatur a jurisdictione criminali, qua non utebantur, nisi exigua ex parte, quatenus jurisdictio sine modica coer-

---

[1]) Una tamen causa in lege Salpensana memoratur ubi unus IIvir creabatur, scilicet cum IIvir crearetur Imperator DOMITIANUS. Verba enim Cap. 24 sunt: „praefectus (sc. CAESARIS) eo jure esto, quo esset si eum IIvirum jure dicundo ex hac lege solum creari oportuisset isque ex hac lege solus IIvir jure dicundo creatus esset". Respiciunt enim illa verba, licet obloquatur GIRAUD (in *Op. l.* p. 49), ad unum IIvirum creatum; probabilius illud etiam fit collato Capite 25, ubiprae fecto IIviri id jus ea potestas datur „quae hac lege IIviris qui jure dicundo praeerunt datur," ubi ex vulgari ratione binorum IIvirorum mentio est.

[2]) Vid CICERON. *de republ.* 2, 31 cf. GELLIUM *Noct. Att.* 2, 15.

[3]) In Opere: *les Tables* p. 39 not. 5.

[4]) Vid LIVIUM Lib. 24 Cap. 10; Lib. 35 Cap. 6; Lib. 39 Cap. 32; cf. quoque Lib. 41 Cap. 6.

citione nulla est [1]). Imperium sive Jurisdictio criminalis praesidi provinciae vel proconsuli erat mandata [2]).

Jurisdictionem quam IIviri exercent constituit tam jurisdictio voluntaria quam contentiosa. Utramque Malacae et Salpensae iis lege municipali datam fuisse novimus [3]).

Jurisdictione voluntaria IIvir utitur, cum partes suas interponit inter consentientes; usu venit in causa manumissionis, emancipationis et adoptionis; attamen ipso jure IIviris municipalibus non competit, sed tantummodo cum apud eos est legis actio [4]). Cum vero in Capite 28 legis Salpensanae IIviro jus manumittendi detur, quaestio in promptu est num ei concessa fuerit legis actio? Tenendum est testimonia veterum quae doceant apud magistratus municipales, nisi habeant legis actionem, manumitti non posse, respicere ad cives Romanos, qui manumittere non possunt nisi apud magistratum Romanum; apud municipalem vero civi Romano tum demum licet manumittere, si apud eum permissum est lege agere [5]). Latinis autem, de quibus in hoc Capite sermo est [6]),

---

1) Vide leg. 5 § 1 D. *de offic. ejus* (1.21), leg. 2 et 12 D. *de jurisdictione* (2.1.).

2) Vide leg. 6 pr. 7 § 2 § 8 D. *de off. procons.* (1.16). leg. 4. 6 § 8. et 10 *de off. praes.* (1.18).

3) Vide Cap. 28 *legis Salp.* Cap. 69 *legis Mal.* cf. quoque Cap. 66. huius legis.

4) Vide PAULI *Sent.* II. 25.4, leg. 3. D. *de off. procons.* (1.16). et leg. 4. D. *de adoptionibus* (1.6).

5) Verbo addendum videtur quid sit legis actio. Quum in jure apud Romanos agebatur, adhibebantur solemnes quaedam formulae a partibus inter se et a magistratu interpositae, quibus accedebant actus solemnes, quae omnia diversa erant pro diversa ratione qua agebatur; quae cum omnia legibus praescripta essent, legis actiones vocabantur; vide GAIUM *Inst.* Lib. 4 § 10—31. Conferri meretur F. L. VON KELLER in Opere: *Das Römische Civilprocess.* Leipzig, 1855, qui p. 55—85. *Op. l.* fuse de legis actionibus disseruit.

6) Ita scriptum est in lege: „Si quis municeps municipii Flavii Salpensani

manumittere licet, uti res ipsa docet, apud magistratum municipalem Latinum; cives Romani qui Malacae vel Salpensae erant apud proconsulem Baeticae procul dubio manumittebant [1]).

Revera itaque IIviri in municipiis Flaviis habent jurisdictionem voluntariam; non omnes autem Latini illi jurisdictioni subjecti sunt; municipes enim soli apud IIvirum municipalem manumittere possunt; incolis vero non licet, nisi privilegio concessum fuerit [2]); neque in hac causa differt, utrum incolae sint cives Romani an Latini.

Plura de jurisdictione voluntaria magistratuum municipalium non traduntur in legibus nostris, attamen, licet jurisdictionis non sit, cum ea cohaerere videtur jus dandi tutoris, quod IIviro lege Salpensana tribuitur. Non competit ei, *quia* jurisdictione continetur [3]), attamen quodammodo ad officium jus dicentis pertinet [4]).

Praescriptum legis: IIviri esse tutoris dationem, vehementer turbavit virum cl. LABOULAYE, ut apparet ex verbis [5]): „Cette tutoris datio par des magistrats municipaux est encore

---

qui Latinus erit apud IIviros qui jure dicundo praeerunt ejus municipii servum suum servamve suam ex servitute in libertatem manumiserit liberum liberamve esse jusserit — qui ita manumissus liberve esse jussus erit liber esto," cet. LABOULAYE in Opere: *les Tables* p. 24 not 34. citat legem 1 § 1 D. *de off. cons.* (1.10) ubi consules dicuntur et seorsim singuli manumittere, et addit cum ea non convenire nomen plurale (apud *IIviros*) in hac lege; vide contra GIRAUD in *Op. l.* p. 103, 104 et ARNDTS in *Comment. supr. l. Kritische Ueberschau* p. 418.

1) Probabile jam fit ex hac ipsa legis Salp. periodo, qua IIviri certe prohibentur servos municipum civium Romanorum manumittere; quod argumentum satis firmum esse videtur Salpensam municipium Latinum fuisse. cf. RUDORFF in *Disp. Crit.* p. 19.

2) Vide MOMMSEN *Stadtr.* p. 434 not. 128.

3) Vide leg. 6 § 2. D. *de tutelis* (26.1).

4) Vide ULPIANUM in lege 1. D. *de jurisdictione* (2.1).

5) In Opere *les Tables* etc. p. 25 not. 39.

quelque chose d'inoui en droit romain." Notissima sane res est, in jure Romano aliud circa tutoris dationem juris fuisse; ex lege enim Atilia jus dandi tutoris Romae habebat praetor et major pars tribunorum [1]); in provinciis vero lege Julia et Titia tutoris datio praesidibus provinciarum deferebatur, qui tutores dabant post nominationem magistratuum municipalium. Itaque re vera pugnare videtur lex Salpensana cum praeceptis juris Romani, obliviscendum tamen non est, juris Romani placita ad cives Romanos tantum spectare [2]), et legem Juliam et Titiam praesidi provinciae tantum ut tutorem det civibus Romanis mandare, ita ut ad Latinos extendi nequeat eius potestas, quocum optime convenit nullam praesidis mentionem fieri in lege Salpensana.

Quam gravis tutoris datio in municipio Salpensano habita sit ex eo apparet quod IIvir non solus tutorem dare potest sed tum demum, si omnes collegae, sive unum sive plures habeat [3]), consenserint. Si nullus adsit collega eius in municipio, ordo municipalis collegarum vicem praestat.

---

[1]) Vide GAIUM *Inst.* I § 185. ULPIANUM 11, 18 et *Institut. Justin.* Libl 1. Tit. 20 pr. cf. LIVIUM Lib. 39 Caput. 9.

[2]) Etiamsi Malaca et Salpensa fuissent municipia civium Romanorum, vel sic tamen iniuria LABOULAYE tutoris dationem denegaret magistratibus municipalibus; cum enim ratio procedendi ex lege Julia et Titia (tutoris dationem a praeside post nominationem magistratus municipalis) nimis prolixa videretur, mox tutores dari coepti sunt a magistratibus minoribus, jussu praesidum, pauatimque invaluit, ut ipsi sine jussu praesidum tutores darent. Jus dandi tutores, MARCI AURELII, HADRIANI, imo ipsius DOMITIANI tempore magistratibus municipalibus competiisse multis Digestorum locis probatur; vide GIRAUD in *Op. l.* p. 147—155.

[3]) Mirum videri posset in hac legis parte de uno vel pluribus collegis IIviri mentionem fieri; recte MOMMSEN (*Stadtrechte* p. 433, cf. quoque DERNBURG in *Comment. l.* p. 91) ita illud legis placitum explicavit, ut aediles hoc loco collegarum appellatione contineantur. Quamvis IIvirorum aediliumque ministerium

Diserte lex Salpensana addit IIviro tantum permissum fuisse municipibus, non item incolis, tutorem dare; verba enim sunt: „Cui tutor non erit incertusve erit, *si is eave municeps municipii Flavii Salpensani erit.*" Prorsus convenit hoc placitum cum jure quod ex Digestis nobis innotuit; audias enim ULPIANUM [1]): „Etiam non municeps tutor dari potest [2]) *dummodo municipi detur.*" Quid inde consequitur? Certe illud:

---

prorsus sit diversum in plerisque causis, in hac una tamen (alia in lege nostra non memoratur) iis communiter agendum fuisse apparet. Explicatio tamen viri cl. MOMMSEN compluribus interpretibus satisfacere non potuit, quam ob rem illa diligentius exploranda est. LABOULAYE enim ita disputavit (in Op. *les Tables* p. 26 not. 42): „Voici une chose inexplicable. Comment un IIvir aurait-il plusieurs collègues? il n'en a jamais qu'un; car si les aediles sont les collègues des duumvirs pour la jurisdiction, que devient l'institution du préfet faite par le duumvir au préjudice des aediles?" GIRAUD quodammodo ei assentiri videtur; notavit enim ad huuc locum: „L'objection tirée de la désignation d'un praefectus en l'absence d'un duumvir me parait peremptoire." (Vide eum in *Op l.* p. 157). Alio modo rem expedire conatus est; nonnunquam, ait, extra ordinem complures IIviri creabantur qui tunc IIviri vel IVviri appellabantur; ad eiusmodi vero causam legem Salpensanam respicere contendit. Merito tamen ARNDTS (*Kritische Ueberschau* p. 421) ei contradicit; defendere conatus est sententiam quam MOMMSEN protulit; attamen in novas incidit difficultates. Haec sunt eius verba: „Es scheint uns der Einwand gegen MOMMSEN nicht einmal peremptorisch, denn wenn auch die Aediles als minores collegae der IIviri galten, wie der praetor in Rom collega consulum war, so konnte doch die Bestellung eines Stellvertreters des Duumvir für den Fall vielleicht dauernder Abwesenheit zweckmäszig erscheinen." Refellitur haec explicatio ipsius legis verbis, nam si IIvir ex municipio proficiscatur putans se *eodem die* rediturum non esse, jam tum, si absit quoque collega eius, praefectum eligere debet. Quamvis igitur hac ratiocinatione opinio viri cl. MOMMSEN non valde firmetur, refutatio tamen viri cl. LABOULAYE, quam tanti fecit GIRAUD, multum posse non videtur; nam ex nostro Capite non sequitur aediles collegas IIvirorum fuisse ratione habita jurisdictionis. Aediles enim *in una hac causa extraordinariae jurisdictionis* IIvirorum collegae appellantur. Conjicere licet sane aediles quoque aliquam partem jurisdictionis habuisse in municipiis nostris; diversas tamen partes jurisdictionis IIviris et aedilibus tributas fuisse ostendere conabor, ita ut in eadem causa et IIviri et aediles jurisdictionem non habuerint.

[1]) In lege 10 D. *de tutelis* (26.1). cf. leg. 24 D. *de tut. et cur. dat.* (26.5).

[2]) Municeps tamen potior habetur. Vide *Vaticana Fragmenta* ed. BUCHHOLZ, § 166.

incolam tantum in loco, ubi municeps sit, tutorem accipere posse [1]). Idem in causa manumissionis obtinere apparuit.

Si ad verba Capitis priora attendas, quae tantum de tutore *municipi* dando mentionem faciant attamen non indicent cuius generis municipibus tutor dari possit, videri posset IIviri esse cuicunque municipi tutorem dare. Quamvis complures interpretes [2]) sententiam illam tueantur illi acquiescere non possum; verum quidem est post verba: „Si is eave municeps municipii Flavii Salpensani erit" in lege non addita esse verba Capitis 28 legis Salpensanae „qui Latini erunt"; attamen si conferatur clausula Capitis 29, perspicuum fit de *iis* tantum mentionem fieri. Ibi enim cautum est: „Qui tutor hac lege datus erit, is ei, cui datus erit, quo ne ab justo tutore tutela abeat, tam justus tutor esto, quam si is civis Romanus et agnatus proximus civis Romanus tutor esset." Apparet procul dubio ex hac periodo, eum cui tutor daretur non fuisse civem Romanum, quo facto dubium esse nequit, quin fuerit in animo legislatoris, ubi initio Capitis tutoris dationem concesserit IIviro, praeceptum illud restringere ad municipes tantum Latinos [3]).

Neque tamen propter hanc causam contendo IIviro in municipiis Flaviis facultate tutoris dandi municipibus civibus Romanis interdictum fuisse, illud tamen ex Capite 29 legis Salpensanae non consequi, conatus sum ostendere.

Hac causa ad finem perducta de jurisdictione contentiosa IIvirorum disputare licet.

---

[1]) Errare videtur in hac causa v. SAVIGNY in Opere: *System des Heut.* cet. 8 p. 341.

[2]) Vid. MOMMSEN, *Stadtrechte*, p. 439. GIRAUD, *Op. l.* p. 155. DUBOIS in *Op. l.* p. 121.

[3]) Cf. DIRCKSEN in *Comment. laud.* p. 703.

Utitur ea magistratus cum auctoritas eius invocatur ad litem dirimendam; sunt autem causae de quibus inter litigantes judicare ei non licet. Nam quae sunt supra certam summam de iis IIvir cognoscere non potest; earum cognitio proconsulis est. Quod saltem, etiamsi non diserte statutum sit in lege, ea verba quae supersunt in Capite 69, quod in fine mutilum est, indicare videntur; ibi enim legitur: „Quod municipum municipii Flavii Malacitani nomine petetur ab eo, qui ejus municipii municeps incolave erit, quodve cum eo agetur quod pluris sestertios mille sit neque tanti sit ut...." Ex postremis verbis sequi videtur, fieri posse ut objectum litis sit tanti ut de eo IIviro jus dicere non liceat. Quanti autem fuerit, ex lege Rubria, ut videtur, supplere permissum est. Hac lege tenebatur Gallia Cisalpina, postquam, sublata provinciae forma, ad Italiam pertinere coepit. In illa [1]) jurisdictioni magistratuum municipalium certi fines statuuntur; tantum de iis rebus jus dicere possunt, quae non pluris sestertium quindecim millia sunt, hae enim ad proconsulis imperium pertinent. Ad talem IIvirorum jurisdictionem, certis finibus circumscriptam, complures quoque veterum loci respiciunt. Ut unum testem afferam, PAULUS ita scribit [2]): „Res judicatae videntur a magistratibus municipalibus *usque ad summam qua jus dicere possunt.*" Cum iis autem plane conveniunt verba quibus MOMMSEN Caput 69 supplevit, pergit enim post verba laudata: „neque tanti sit ut," legendo „de ea re proconsulem jus dicere judiciaque dare ex hac lege oporteat, de ea re IIvir praefec-

---

[1]) In Capit. 21. et 22 legis quae invenitur apud ZELL in *Delectu Inscript.* no. 1683. Ad hanc legem cf. PUCHTA, *Cursus der Inst.* I. p. 393—395.

[2]) Vide auctorem in *Sent. Rec.* V. 5. a. Idem quoque ex Digestis colligere licet; vide leg. 19 § 1 D. *de jurisdictione* (2.1). et leg. 28 D. *ad mun.* (50.1).

tusve [1]) qui juri dicundo praeerit ejus municipii ad quem de ea re in jus aditum erit, jus dicito judiciaque dato."

Non tantum tamen lites quarum objectum superat certam summam detractas video jurisdictioni IIvirorum, verum etiam quae minoris sunt mille sestertiorum. Nova sane eiusmodi constitutio est, neque tamen verba legis dubium relinquunt. Probanda videtur conjectura quam MOMMSEN proposuit cognitionem rerum illarum minorum aedilibus competiisse [2]).

Quam late pateat jurisdictio magistratuum Malacitanorum ex hoc quoque Capite apparet. Municipes et incolae enim aeque jurisdictioni contentiosae eorum subesse dicuntur, quod optime convenit cum jure universo municipali; incolis enim erat praescriptum ut magistratibus parerent in loco ubi incolae essent [3]).

Quae supra dixi ad jurisdictionem IIvirorum pertinent neque plura hac de re cauta sunt in lege; attamen cohaerent alia quaedam; etenim secundum regulam: „multam is dicere potest cui judicatio data est" [4]), in lege Malacitana multae dictio IIviris concessa est. Licet totidem verbis non tribuatur jus illud IIviris, in Capite tamen 66 legis Malacitanae mentio est huius juris illis tributi. Multae dictio quoque Romae consulibus erat permissa [5]), attamen certus modus iis erat con-

---

[1]) Praefecti mentione non opus fuisset cum ex Capite 25 legis Salpensanae jam appareat praefectum omnino IIviro aequiparari, exceptis illis quae ibi nominatim adduntur. Cum ibi jurisdictio non esset exempta, res ipsa docet praefectum eandem jurisdictionem habuisse ac IIvirum.

[2]) Vide MOMMSEN *Stadtrechte*, p. 442.

[3]) Vide leg. 29 D. *ad municipalem* (50.1) et leg 19 § 4 D. *de judic. et ubi quis* (5 2).

[4]) Vide leg. 131. § 1 in fine D. *de Verb. Sign.* (50.16). Quomodo differat multa a poena fuse in hac lege expositum est; cf. quoque leg. 244 D. *eiusd. Tit.*

[5]) Vide GELLIUM *Noct. Att.* Lib. 11, Cap. 1.

stitutus, quem superare multantes non possent; modus ipse variis temporibus differebat. Romae norma erat, ut, quascunque vellent, dicere multas liceret, dumtaxat minoris partis familiae [1]). Variis legibus deinceps modus ille certius definiebatur, praesertim lege Aternia Tarpeja, quae multam supremam praescripsit duorum ovium et triginta boum; illorumque aestimationem pecuniariam introduxit [2]), quae deinde quodammodo mutata est lege Julia et Papiria [3]). Constat etiam praesidibus provinciarum modum in hac causa impositum fuisse [4]); quibus omnibus collatis, Malacae quoque, licet ex lege non appareat, idem obtinuisse statuo. Denique multas illas quas dixissent quasque curia justas judicasset [5]), IIviri in publicum redigere jubentur. De ratione qua in publicum multae redigantur in lege nihil cautum est, puto Malacae hoc factum esse solito modo sc. pignoris capione vel missione in bona [6]).

Magna sane potestate praediti jam sunt IIviri quia iis competit jurisdictio; praeterea tamen, uti supra notavi, multa praeclaraque jura summis municipiorum magistratibus data erant. In quibus non minimi faciendum esse videtur jus agendi cum populo.

Comitia habent IIviri neque alii magistratus in munici-

---

1) Vide RUDORFF *Röm. Rechtsgeschichte* I, p. 25 II, p. 418.

2) Vide GELLIUM *l. l.* CICER. *de republica* 2.35. Vide FESTUM in voce „ovibus duobus" ed MÜLLER p. 202.

3) Vide LIVIUM Lib. 4 Cap. 30. cf. RUDORFF *Röm. Rechtsgesch.* II. p. 332. De hac causa, tempore Imperatorum, vide leg. 4 et. 6. Cod. *de modo mult. a jud.* (1.54.)

4) Vide leg. 5. Cod. *quando provocare non est necesse* (7.64).

5) Etenim tum demum multa debetur; cf. verba legis 244. D. *de Verb. Sign.* (50.16). „At multae provocatio est, nec ante debetur quam aut non est provocatum aut provocator victus est."

6) Vide v. KELLER, *Civilprocess* p. 352, 353.

piis Flaviis; lex Malacitana fuse omnia officia IIvirorum exponit; jam vero ex praeceptis quae illis dantur de ratione magistratus eligendi in comitiis prorsus certiores facti sumus.

Non tantum ipsis comitiis habendis praeesse jubetur IIvir; cura quoque ei injungitur ut haberi possint, aliis verbis, ut tot adsint candidati idonei quot magistratus creari oporteat.

Vulgo sane hac cura supersederi potuit, nam quum numerus magistratuum creandorum aequabatur vel superabatur numero candidatorum, non opus erat IIviri ministerio.

Professio est petitio honoris; modum quo profiterentur Malacae candidati probabile est in lege praescriptum fuisse; id enim indicare videntur verba prima Capitis 51 legis Malacitanae [1], quae ad argumentum respicere puto, de quo supra in lege cautum esset; placita tamen illa aetatem non tulerunt. Hoc vero ex Capite 51 docemur, tempus constitutum fuisse, intra quod professio esset facienda et a professione candidati desistere possent.

Utrumque Romae invaluisse certum est; tempus legitimum petitioni constitutum fuit trinundinum [2]; idem terminus Malacae quoque fortasse praestitutus erat; petentibus Romae quoque licuisse ut a professione desisterent ex veterum testimoniis constat [3].

Ipsa professio quae fuerit ibi, nota est: solebant petentes toga candida vestiti in foro circumire, ducibus nomencla-

---

[1]) Sunt enim: „Si ad quem diem professio fieri oportebit nullius nomine aut pauciorum quam tot quot creari oportebit professio facta erit."

[2]) Vide v. g. CICERON. *ad familiar.*, 16, 12.

[3]) Cf. ASCONIUM ad locum CICER.: in *toga cand.* p. 89, in verbis, „Catilina quia quaerebatur repetundarum destitit a petitione."

toribus singulos cives appellare, prensare, suffragiaque ab iis petere [1]); praeterea fortasse nomina inscribebantur in albo [2]).

Itaque si non adsint qui sua sponte magistratum petant, IIviri est numerum necessarium explere; eo praescripta Capitis 51 tendunt: Jubetur enim „proscribere ita ut [3]) de plano legi possint, tot nomina eorum, quibus per hanc legem eum honorem petere licebit, quot deerunt ad eum numerum, ad quem creari ex hac lege oportebit." *Hac petitione*, ut ita dicam, desistere non possunt, nisi singuli singulos eiusdem condicionis nominent, quibus iterum eadem facultas datur. Quos vero nominaverint qui a proscriptis nominati sunt, iis honorem recusare nullo modo licet.

Laboulaye animadvertit proscriptionem illam et nominationem Romae tempore reipublicae notam non fuisse [4]); re vera ne vestigium quidem huius instituti adest ibi illa aetate; necessaria ibi fuit neque proscriptio neque nominatio; florente enim republica tanta erat honorum cupiditas ut ne cogitari quidem posset profitentium numerum non suffecturum esse.

Nonne igitur laboulaye verum dixit cum proscriptionem illam testem dicat „de la décadence municipale à Malaga"? Si omnino constaret saepius usu venisse proscriptionem illam, imo hoc plerumque Malacae accidisse, sane tale quid contendere

---

1) Cf. livium, Lib. 3, Cap. 35; Lib. 4, Cap. 6 et ciceronem *pro Murena*, Cap. 36, et *Epist. ad Att.* 4, 1.

2) De hac re pluribus disserunt becker-marquardt, in *Op. l.* II, 3, p. 96, et H. göll in Commentatione „*Ueber die Fortdauer und die Ambtsbefügnisse der republicanischen Magistrate zur Zeit der Römischen Kaiser*," quae inserta est diario: *Zeitschrift für die Alterthumswissenschaft*, anni 1856. p. 514.

3) Animadvertit laboulaye in Opere: *les Tables* p. 38 not 2. vulgo in monumentis deprehendi haec verba „*unde* de plano." Eiusmodi formulas autem saepius vario modo scriptas video; in lege Acilia v. g. (vid. zell *Del. Inscr.* no. 1679) in Capite 19, legitur „*ubi* de plano."

4) Vide auctor. in Op.: *les Tables*, p. 39 not. 4.

liceret; id vero non constat; imo comitia DOMITIANI tempore Malacae studiis civium floruisse ex aliis legum placitis verisimile fit. Quapropter in lege de proscriptione et nominatione cautum fuisse puto, ut si, quod alibi fortasse factum esset, Malacae quoque honores recusarentur, vis adhiberi posset. Caesarum tempore omnino, ut constat, Romae nominatio ab Imperatore facta est [1]).

In municipiis nominationem successoris a magistratu fieri usitatum erat [2]), et Malacae quoque nominatio a proscripto facta postea in potioris nominationem, factam ab eo qui creatus jam esset, conversa est [3]).

Cohaerebat cum illa proscriptione placitum ab ULPIANO traditum magistratus creatos, si munere fungi detrectavissent, illud agnoscere cogendos [4]).

Eum qui magistratum nominavisset cavisse pro honoris gestione una cum praedibus datis, compluribus locis veteres testantur [5]).

Vix opus erit addere, quo tempore proscriptio et nominatio illa invaluerit, omnem potestatem comitiis ademptam atque in magistratum proscribentem translatam esse [6]). Nominationi a magistratu factae accessit quoque tunc creatio a curia facta [7]).

Utrum nominatus sit quis vel proscriptus, an vero ipse sua sponte professus sit non interest; omnium enim nomina pro-

---

1) Cf. GÖLL in *Comment. laud.* p. 514.515.
2) Vide leg. 2 § 3., leg. 11 § 1, leg. 13, leg. 15 § 1 D. *ad mun.* (50.1).
3) Vide leg. un. Cod. *de pot. ad mun.* (10.65).
4) Vide leg. 9 D. *de mun. et hon.* (50 4).
5) Vide leges nota 2 citatas praeterea que l. 2 § 7 D. *de administr. rer.* (50.8).
6) Recte KUHN in *Op. l.* p. 239.
7) Vide leg. 1 § 3, 4. D. *quando appell.* (49.4).

ponere debet IIvir, qui comitia habet, ita ut de plano legi possint, de iisque omnibus comitia habere [1]), et post creationem prorsus eadem condicione omnes sunt [2]).

Si candidati idonei tot adsint quot magistratus creandi, IIvir comitia iis creandis habere potest. Caput 52 legis Malacitanae docet IIvirum comitia habere omnibus magistratibus tam IIviris quam aedilibus et quaestoribus rogandis et subrogandis. Etiam Romae consules comitia consulibus creandis vulgo habuisse notum est; imo minor magistratus ea habere non poterat, quia majus imperium a minore rogari non erat jus [3]). Comitia vero aedilibus quaestoribusque rogandis non semper consules habuisse constat; CICERONIS tempore tamen id usu venisse novimus [4]). Etiam comitia subrogandis magistratibus IIviros Malacae habere oportet; quoties enim quis magistratu abiret ante honorem finitum, quam citissime comitia edicenda erant ut in illius locum alius sufficeretur.

Eodem die, ut apparet ex verbis legis Malacitanae, Capite 54: „deinde [5]), proximo quoque tempore", IIviri aediles quaestores Malacae creantur; Romae plerumque unus dies non sufficiebat omnibus magistratibus creandis ita ut saepius mentio fiat comitiorum dilatorum [6]).

Memini verbo me jam monere municipes Malacae et Salpensae in curias distributos fuisse, illasque multum po-

---

[1]) Vide Cap. 51, *legis Mal.* in fine.

[2]) Vide Cap. 60 *legis Mal.* initio.

[3]) Vide GELLIUM, *Noct. Att.* Lib. 13, Cap. 15, cf. CICERON. *ad Att.* 9, 9.

[4]) Cf. CICERON. in *Or. pro Plancio*, Cap. 20.

[5]) Vocabulum „deinde" magis ad ordinem creationis spectare videtur.

[6]) Vide LIVIUM, Lib. 37, Cap. 47; Lib. 40. Cap. 59. cf. CICERON., *pro Plancio*, Cap. 20.

tuisse in suffragiis ferendis; huius loci est argumentum illud exponere.

Quum dies comitiis habendis edictus [1]) advenerit, IIvir ex curiis unam sorte ducit in qua incolae suffragia ferre possint, quo facto municipes curiatim ad suffragium ferendum vocare debet. Modus quoque curiarum vocandarum IIviro lege praescribitur. „Ita," (legis verba sunt), „vocato ut uno vocatu omnes curias in suffragium vocet eaeque singulae in singulis consaeptis suffragium per tabellam ferant [2])." Conveniunt haec placita cum ratione suffragii ferendi in comitiis tributis Romae.

Municipes ad suffragium ferendum vocantur *curiatim*; viritim singuli municipes in ipsis curiis suffragium ferunt, quosque major pars eorum magistratus elegerit, eos singulae curiae, quum ad suffragium ferendum vocantur, magistratum faciunt. Eodem modo Romae in comitiis tributis suffragia tributim ferebantur [3]). Vocantur curiae omnes uno vocatu, ita ut omnes eodem tempore suffragium ferant, quod in comitiis tributis Romae quoque evenisse DIONYSIUS testatur [4]).

Magistratu vocante, municipes antea sparsim et promiscue adstantes discurrebant in curias; singulae loca separata habebant ubi suffragium ferrent, quae lege Malacitana consaepta vocantur.

Saepta Romae erat locus auspicatus et inclusus in Campo Martio, ubi comitia habebantur.

In comitiis centuriatis habendis verisimile est singulas

---

1) Romae quoque hoc usu receptum fuisse notum est; vid. LIVIUM, Lib. 6, Cap. 4; cf. GELLIUM, *Noct. Att.* Lib. 13, Cap. 15.

2) Vid. Cap. 55 *legis Mal.* cf. Cap. 52.

3) Cf. DIONYSIUM, Lib. 7, Cap. 59 ubi verba leguntur „*Κατὰ φυλάς.*"

4) Auctor l. l. dicit: „*μιᾷ κλήσει.*"

centurias locum separatum habuisse [1]; locum comitiis tributis habendis statutum in 35 partes divisum fuisse constat [2]. Suffragium ferunt curiae in consaeptis; eadem hac ratione post legem Gabiniam, quae prima fuit tabellaria, suffragia Romae et in comitiis centuriatis et in tributis ferebantur. Illa lege enim introductum est ut cives, quum comitia magistratibus creandis haberentur, unam tabellam acciperent, cui nomina candidatorum inscribere possent [3]. Romani hanc tabellam accipiebant in pontibus, per quos accedere licebat ad singula consaepta, nam singula aditum sibi proprium habebant; in pontibus Romae cistae erant positae [4], in quibus cives deponerent tabellas: Malacae quoque ad singula consaepta accedebant municipes suffragia ferentes per aditum sibi proprium; in illis actus suffragii ferendi prorsus peragebatur; ibi enim municipes accipiebant tabellam, eamque nominibus inscriptis in cistis collocabant. Romae, ut hoc addam, cives in comitiis centuriatis a rogatoribus centuriarum, in tributis fortasse a curatoribus tribuum tabellam accipiebant [5]. In legis Malacitanae parte illa quae superest cautum non est cui munus illud in municipio nostro mandetur; puto tamen Malacae eo functos esse custodes qui a magistratu erant dati; eoque haec opinio confirmatur, quod in ipso Capite 55 legis Mal. custodibus defertur negotium, quod Romae rogatores perficiebant; custodes enim Malacae

---

1) Vide LANGE *Röm. Alterthümer* II. p. 425.

2) Vide ASCONIUM ad CIC. in *Corn.* p. 70 ubi dicit: „Jubet enim is qui fert legem dicere, quod verbum non hoc significat quod, in communi consuetudine erat, de eo loco, ubi lex fertur; sed in suam quisque tribum discedat in qua est suffragium laturus." cf. LIVIUM Lib. 25. Cap. 2. ubi verba leguntur: „discurrere in tribus."

3) Vide CICERON. *de legibus* Lib. 3 Cap. 16. *Laelius*, Cap. 12.

4) Vide Auct. *ad Herennium* I, 12, 21.

5) Vide MOMMSEN in Opere: *Römische Tribus*, p. 102, 104.

rationem suffragiorum referunt, quod Romae in comitiis centuriatis rogatores centuriarum facere solebant [1]).

Non tantum est IIviri comitia habentis ut curias ad suffragium ferendum vocet, verum etiam ut sine fraude suffragia ferantur. Huc pertinet praescriptum IIviro Capite 55 datum, ubi legitur: „Item curato ut ad cistam cuiusque curiae ex municipibus ejus municipii terni sint, qui eius curiae non sint [2]), qui suffragia custodiant diribeant, et uti antequam id faciant, quisque eorum juret se rationem suffragiorum fide bona habiturum relaturumque. Neve prohibito, quominus et qui honorem petent singulos custodes ad singulas cistas ponant."

IIvir igitur custodes dare debet qui simul sunt diribitores. Romae ita non fuit; ibi non dabantur a magistratu, sed candidati ipsi solebant amicos ad cistas collocare; custodes ibi non fungebantur munere diribitorum. Quod cum videret discrimen inter instituta Romana et Malacitana LABOULAYE vehementer in legem nostram invehitur. „Surveiller," ait [3]), „les suffrages et dépouiller le scrutin sont deux opérations

---

[1]) Vide CICERON. *de div.* 2.35 cf. idem auctor: *de natura deorum*, 2.4.

[2]) Inde sequitur municipes illos singulos in sua curia suffragia ferre non potuisse. Valde tamen iniquum illud fuisset eos, ministerio suo reipublicae praebendo, facto destitutos fuisse jure suffragii. Quam ob rem lex Malacitana huic causae prospexit; cavetur enim in fine Capitis 55: „Iique custodes ab eo qui comitia habebit, item ab his positi qui honorem petent, in ea curia quisque eorum suffragium ferto ad cuius curiae cistam custos positus erit, eorumque suffragia perinde justa rataque sunt, ac si in sua quisque curia suffragium tulisset." LABOULAYE hoc loco animadvertit (in Opere: *les Tables* p. 41 not. 21): „Quant au droit de voter dans une autre curie ou dans une autre tribu que la sienne un Romain ne l'êut jamais admis." Quod auctor vero condemnavit Romae evenisse video; cum enim ex aliqua tribu nemo venerat ad suffragium ferendum ex alia tribu nonnulli suffragium ferunt in illa cuius nemo adest; vide CICERON. *Or. pro Sextio* Cap. 51, cf. MADVIG *Opuscul. Acad.* p. 488.

[3]) In Opere: *les Tables*, p. 41, not. 8.

distinctes: à Rome on ne voit pas qu' elles fussent confiées aux mêmes personnes;" paulo post ita pergit: „pourquoi ces singuli custodes? à Rome sous la république ce sont les candidats mêmes qui nomment les custodes." Quae cum ita sint, ita concludit: „Ainsi Malaga se trouve priviligée sur Rome et a une plus grande liberté electorale."

Quod attinet ad custodes, concedo eos tempore reipublicae Romae ab amicis cistis appositos fuisse [1]), animadverto tamen hoc postea mutatum esse [2]). Praetereaque tenendum etiam Malacae custodes admissos fuisse qui ab ipsis candidatis dati essent.

Hoc quoque attendendum diribitionem fuisse munus publicum tum Romae cum Malacae, neque reputantem illud conjunctum fuisse Malacae cum cistarum custodia, mirari oportet utroque munere functuros magistratum constituisse. Itaque adeo mihi placitum legis Mal. ab institutis Romanis discrepare non videtur ac voluit auctor.

Custodes cistis apponuntur ne fraudi locus sit; ratio alia fuit Romae tempore reipublicae; eo consilio enim candidatorum amici custodiebant ut suffragia suo candidato comparare possent.

Postquam suffragia lata sunt, custodes Malacae diribere incipiunt; sepositis tabellis quae ejusdem candidati nomen habeant, in tabulis denotant nomina eorum qui suffragia consecuti sunt; quod indicant verba: „rationem suffragiorum habere."

Tabulas illas IIviro tradentes dicuntur „rationem suf-

---

1) Vide VARRONEM *de Re Rust.* III, 5. 18. CICERONEM *Orat. post. Red. in Sen.* Cap. 7.

2) Vide MOMMSEN *Röm. Tribus* p. 104.

fragiorum referre." Romae suffragia diribebantur in aedificio quodam separato, quod inde „diribitorium" appellabatur [1]); puto Malacae, ubi custodes sunt iidem ac diribitores, in consaeptis etiam diribitionem factam esse.

Operae pretium est animadvertere custodibus qui a magistratu darentur, antequam munus suscipiant, jusjurandum esse praestandum se bona fide munere functuros esse. Romae fortasse quoque ab iis qui rationem suffragiorum habebant et referebant eiusmodi jusjurandum exigebatur; nihil tamen de hac re nobis traditum est.

Animadverto omnia quae ad suffragia ferenda pertinent tam accurate in lege Malacitana esse exposita, quia cautiones adhibitae ne fraus fieret in suffragiis comitiis ferendis, me judice, argumento sunt comitia magistratibus creandis tempore sane DOMITIANI in municipiis Latinis frequentia fuisse. Redeamus vero ad ipsam legem Malacitanam.

Diribitis tabellis, custodes tabulas quae rationem suffragiorum continent magistratui tradunt. Quum omnium curiarum tabulae ei relatae sunt, nomina curiarum in sortem conjicere debet, proutique nomina singula sorte exierint, pronuntiari jubet [2]) quos ea curia fecerit. Sortitio illa sane usu venit, ne arbitrio IIviri relinquatur ordo renuntiationis, neque tamen propter hanc solam causam praescripta erat. Aequitatis causa, opinor, ita cautum erat; ex alio enim legis placito apparebit non omnium curiarum rationem semper reci-

---

[1]) Cf. DION. CASS. Lib. 55. Cap. 8 et SUETONIUM *in vita Claudii* Cap. 18.

[2]) Vide Cap. 57 legis Malacitanae. Pronuntiare jubet magistratus qui praeconem jubet renuntiare quos curia fecerit; cf. Caput 7 tabulae Heracleensis (ZELL no. 1682). et ad hunc locum DIRCKSEN *Observ. ad tab. Her.* p. 68. Animadvertendum verba „renuntiato" in Capite 56 *legis Mal.* et „pronuntiari iubeto" in Capite 57 ad eandem renuntiationem spectare.

tari [1]), ita ut evenire posset saepius easdem curias nihil quidquam valuisse in magistratuum creatione. Iniquitas illa sublata erat quum sorte statueretur ordo renuntiationis. Recte MOMMSEN de hac causa disputans dicit [2]): „Renuntiirt ward wer über die Hälfte der Curienstimmen vereinigt hatte, und die ferner auf ihn fallenden Stimmen blieben formell unbeachtet. Somit konnte auch sehr leicht der Fall eintreten dasz die Tafeln der letzten Curien gar nicht zur Verlesung kamen; desshalb ward um die Reihenfolge geloost."

Romae quoque sortitio in hac causa locum habet in comitiis tributis [3]); in centuriatis comitiis vero ordo renuntiationis dignitate centuriarum statuebatur [4]). Ratio tamen prorsus eadem non erat; in comitiis tributis enim, licet major quoque pars tribuum sufficeret ut quis eligi posset, nunquam ultimae curiae negligebantur [5]).

Cum ordo renuntiationis sorte statutus esset, magistratus qui comitia habebat, suffragiis quae habent singuli candidati in tabulis notatis, renuntiat quem singulae curiae magistratum fecerint. Si plures sunt suffragia consecuti in singulis curiis, lex statuit qui renuntiari pro curia debeant. Secundum Caput 56 legis Malacitanae qui plura quam alii suffragia habent in aliqua curia, creati renuntiari debent pro

---

[1]) Vide *Diss.* p. 120.

[2]) In Opere: *Stadtrechte* p. 427 not. 108.

[3]) Vide VARRON. *de Re Rust.* III, 17.1. cf. ad hunc locum WALTER *Röm. Rechtsgesch.* I, p. 134 not. 126.

[4]) Primo enim renuntiantur qui a centuria praerogativa creati sunt; tum quos ceterae centuriae creaverunt secundum certum ordinem; vide CICERON. *Phil.* 2, 33. cf. LIV. Lib. 27 Cap. 6 et Lib. 10 Cap. 22.

[5]) Vide LIVIUM, Lib. 8 Cap. 37 Lib. 29 Cap. 13. Lib. 30 Cap. 40. Lib. 38. Cap. 54.

illa. Si autem evenit ut duo vel plures totidem habeant suffragia in una curia, ibidem lege cautum est quem creari oporteat. Magistratus enim praeferre jubetur,

a. eum qui maritus, maritorumve numero est, caelibi [1]; si duo vel omnes sunt mariti,

b. eum qui liberos habet, orbo; si uterque liberos habet,

c. eum qui plures liberos habet pauciores habenti; si prorsus denique eiusdem condicionis sunt,

d. is praefertur quem sors indicaverit.

a. Maritis aequiparantur „ii qui maritorum numero sunt." Quaeritur qui designentur hisce verbis? Utrum certam classem hominum faciant lege Julia et Papia definitam an ex beneficio Imperatorum nonnunquam coelibes pro maritis habeantur? In hanc sententiam LABOULAYE [2], in illam MOMMSEN abiit [3]. Nonnunquam sane orbos utriusque sexus jus liberorum ex beneficio Imperatorum impetravisse notum est; [4] exemplum tamen juris matrimonii alicui concessi ab Imperatore nusquam, quantum equidem scio, invenitur, quam ob rem sententiam viri cl. MOMMSEN probabiliorem duco.

b et *c.* Maritorum is qui liberos habet orbo praefertur; qui pauciores habet plures habenti cedit. Similia sunt haec placita constitutionibus inde ab Augusti tempore ab Im-

[1] Verba legis sunt: „praeferto (sc. IIvir) maritum quive maritorum numero erit *coelibi liberos non habenti qui maritorum numero non erit.*" LABOULAYE explicari posse negavit haec verba; vide eum in Opere *les Tables* p. 42 not. 24. Concedit tamen coelibem liberos habere posse, quum adoptare possit; „coelebs qui maritorum numero non erit" in lege accurate scriptum esse videtur, cum enim inter coelibes sint qui pro maritis habeantur, legis auctor indicare voluit, tali coelibi maritum non praeferri.

[2] In Opere: *les Tables* l.l.

[3] Quem vide in Opere: *Stadtrechte* p. 420 not 81.

[4] Vide DION. CASSIUM Lib. 55 Cap. 2.

peratoribus editis quae orbitati poenam et πολυπαιδίᾳ praemium statuebant. Eiusmodi placitum legis Juliae de maritandis ordinibus a GELLIO [1]) memoratur. Cavetur ea lege, fasces sumendi potestatem illi ex consulibus competere qui plures liberos habeat superstites vel bello amiserit, si autem par utrique sit numerus liberorum, maritum eumve qui in maritorum numero esset praeferri [2]). Praeterea numerus liberorum proderat in candidatis [3]). Liberi quoque in censum veniunt quum de dignitate in senatu municipali quaeritur, qui enim liberos non habent postponuntur habentibus [4]).

In computatione liberorum lex Malacitana ita versatur „ut bini liberi post nomen impositum aut singuli puberes amissi virivepotentes amissae pro singulis sospitibus numerentur." Convenit hoc placitum cum Capite legis Papiae quod memorat ULPIANUS [5]), ubi masculini sexus singuli demortui post 14 annos, feminini vero sexus post 12 annos, vel duo tresve post nomen impositum amissae pro singulis sospitibus habeantur.

d. Si prorsus eiusdem condicionis sint candidati, sortem decernere dixi. Puto liberae reipublicae tempore Romae in eiusmodi causa etiam sortitionem locum habuisse. Alia sane norma non innotuit quam adhibuerint Romani, si numero suffra-

---

1) *Noct. Att.* Lib. 2, Cap. 15, PLIN. *Epist.* 2, 13.

2) De poenis orbitati et praemiis πολυπαιδίᾳ constitutis lege Papia vide W. REIN in Opere: *Das Privatrecht und der Civilprocess der Römer* Leipzig 1858. p. 460—468.

De numero liberorum conferri meretur KUHN in *Op. l.* p. 71—75.

3) Vide TACIT. *Annal.* 2, 51.

4) Vide leg. 6 § 5. D. *de decur. et fil.* (50.2). cf. leg. 9 Cod. *de decur. et fil.* (10.31).

5) Tit. 16 § 1.

giorum duo vel plures pares essent in ipsis centuriis et tribubus. Constat tamen in comitiis tributis sortem decrevisse si duo vel plures totidem tribus haberent [1]).

Secundum hanc normam IIvir deinceps renuntiat quos singulae curiae fecerint. Simulatque confecerit quis majorem partem curiarum, ei magistratus jusjurandum defert [2]), quae conditio est renuntiationis secundae. Defertur illud cuivis candidato, quemcunque honorem petierit; nisi praestet, non renuntiatur, eoque differt ab jurejurando de quo supra disputavi, quod exigitur hoc ab eo qui nondum est magistratus, illud vero ab eo qui per aliquot dies creatus jam est. Cetera fere in utroque sunt eadem. In contionem [3]) et palam etiam hoc est praestandum; formula quoque prorsus est similis.

Paululum tantum argumentum differt; jurat enim hoc loco candidatus se facturum quae ex hac lege facere oportebit neque adversus hanc legem fecisse aut facturum esse scientem dolo malo. Nihil fere in jurejurando est quod animadversione dignum sit quum sermone maxime generali jurent se honore suo recte functuros; hoc tamen attendi meretur candidatos secundum Cap. 59 legis Mal. jurare se nihil *fecisse* contra legem. Quod adeo, ad purgandam quippe ambitus suspicionem datum, purgatorium dicere liceat. Ratio in promptu est, cur ita non jurent, cum magistratus jam creati sunt (in Capite 26 legis Salpensanae illa verba non leguntur), tum enim jusjurandum

---

[1]) Vide CICERON. *pro Planc.* 22.

[2]) Vide Cap. 59 *legis Mal.* ubi cautum est: „Qui ea comitia habebit uti quisque eorum qui IIviratum, aedilitatem quaesturamve petet majorem partem numeri curiarum expleverit, *prius quam eum factum creatumque* renuntiet jusjurandum adigito, cet." cf. Cap. 57 eiusdem legis.

[3]) De accusativo illo cf. quae supra disputavi *Diss.* p. 50 not. 1.

Capitis 59 jam praestiterunt, scilicet simulac majorem partem numeri curiarum confecerunt.

Romae quoque, quamvis non saepe memoratur, eiusmodi jurisjurandum erat praestandum [1]).

Jurejurando accepto, IIvir eum qui expleverit majorem partem illam curiarum magistratum renuntiat creatque. Num omnes igitur qui suffragia legitima confecerunt creantur magistratus? Ipsa verba legis respondent, haec enim in Capite 57 legis Malacitanae leguntur: „et uti quisque *prior* majorem partem numeri curiarum confecerit, eum cum hac lege juraverit caveritque de pecunia communi [2]), factum creatumque renuntiato donec tot magistratus sint, quot hac lege creari oportebit." Diserte dicitur hoc loco renuntiari aliquis, *simulac* numerum legitimum curiarum expleverit; unde sequitur ceteras curias quae eundem elegerint in censum non venire; itaque saepius ultimas ne recitatas quidem esse puto.

Agnoscendum sane videtur [3]) quodammodo differre placitum legis Malacitanae a ratione communi, quum plures sunt majorem numerum suffragiorum consecuti quam magistratus creandi, ab eo quoque quod Romae in hac causa juris fuisse verisimile est; ibi enim nullae omnino tribus negligebantur; quod si tamen Malacae evenisse teneamus, facile intelligitur quare qui *prior* majorem partem curiarum confecisset, crearetur; nam alia forte norma creationis non supererat si plures legitimum numerum essent consecuti. Si duo pluresve candi-

---

[1]) Vide PLINIUM, *Panegyr.* Cap. 64 cf. GÖLL in *Comment. laud.* p. 523.

[2]) Obiter animadvertere volo negligenter hoc loco statutum esse cautionem de pecunia communi *omni* candidato esse praestandum, cum ex Capite 60 perspicuum fiat tantum ab iis qui IIviratum et quaesturam petant hoc modo caveri.

[3]) Vide LABOULAYE in Opere: *les Tables* p. 43 not 26. qui eo progressus est ut de hac causa praedicaret: „On arrive ainsi à un résultat impossible."

dati eundem numerum curiarum habeant, lex Malacitana IIvirum jubet „uti supra comprehensum est de iis qui suffragiorum numero pares essent ita facere de iis qui totidem curias habebunt eademque ratione priorem quemque creatum esse renuntiare.” De hac causa igitur, si conferantur quae supra disputavi, hoc loco agere supervacaneum sit.

Renuntiatione illa secunda facta, comitia dimittuntur et peractum quoque est ministerium IIviri comitia habentis.

Paucis porro conferre liceat similitudinem institutorum Romanorum.

Complures enim viri docti contendunt geminam illam renuntiationem cuius mentionem facit lex Malacitana, Romae notam non fuisse [1]. Quamvis libenter concedam nusquam tam perspicue et diserte utramque renuntiationem distingui sibique inter se opponi, uti factum est in Capite 56 et 57 legis Malacitanae, ignotam tamen illam fuisse Romae non facile credam.

Constat quippe in comitiis centuriatis centuriam praerogativam sorte indicatam, quosque ea fecerit renuntiatos esse, antequam ceterae centuriae suffragium ferrent; haec est procul dubio renuntiatio pro centuria [2]. Verisimile etiam est eum qui comitia haberet, tabulis relatis, quae rationem suffragiorum continerent, solitum fuisse deinceps renuntiare quos singulae centuriae magistratus creavissent; CICERO enim [3]: „Tu cum esses,” inquit, „praetor renuntiatus, quomodo non ipsa praeconis voce excitatus es, *qui te totiens seniorum juniorumque centuriis illo*

---

1) Vide MOMMSEN, *Stadtrechte* p. 426, not. 106 et LABOULAYE in Opere: *les Tables* p. 41 not 22.

2) Vide CIC. *Or. Phil.* II, 33.

3) In Oratione *in Verrem.* II, Cap. 55.15.

honore affici pronuntiaverit ut" cet. Nonne hoc loco respicitur ad renuntiationem pro singulis centuriis a praecone factam? [1]). Idem apparet ex formula qua utebatur magistratus, qui Romae comitia habebat; dum jubet praeconem quos quaeque centuria fecisset pronuntiare, „Praeco," ait, „dic de Aniensi juniorum"; post haec praeco respondet: „Olla centuria consules dicit Q. Fabium Publ. Decium." Revera, opinor, haec est renuntiatio pro centuria [2]).

Etiam in comitiis tributis veteres docent renuntiationem pro tribu usu venisse; ita enim VARRO loquitur [3]): „Latis tabulis sortitio fit tribuum ac coepti sunt a praecone renuntiari *quem quaeque tribus fecerant aedilem.*" Nonne hoc loco iisdem fere verbis ac in lege Malacitana renuntiatio pro tribu significatur? Nonne ad eandem spectat quoque GELLIUS, ubi dicit [4]): „*Eum pro tribu aedilem curulem renuntiaverunt.*" [5]).

Quae cum ita sint, dubium esse nequit, quin Romae et renuntiatio pro centuria et pro tribu in more fuerit.

Prorsus tamen differebat haec renuntiatio a praecone facta ab illa, quae fiebat ab ipso magistratu; haec creatio vocatur, quum qui comitia habet aliquem magistratum *factum creatumque renuntiat a populo Romano* [6]).

Itaque contendere liceat novam non esse geminam illam renuntiationem quae in lege Malacitana memoratur;

---

1) Vide CICER. *de Oratore* 2, Cap. 64 et ad hunc locum notam in editione viri cons. C. W. PIDERIT quae prodiit Lipsiae 1859 p. 322, not 3; cf. CICERONEM *de lege agrar* 2, 2.

2) Vide BECKER-MARQUARDT in Op. *l.* 2.3. p. 110.

3) De *Re Rust.* 3, 17.1.

4) *Noct. Att.* 6, Cap. 9.

5) Idem quoque testatur LIVIUS Lib. 9. Cap. 46 in verbis: „Cum appareret aedilibus, fierique se pro tribu aedilem videret."

6) Vide LIVIUM Lib. 7 Cap. 26. CICER. *pro Murena.* 1.1.

multum tamen posse videtur in hac causa placitum huius legis, cum accurate et perspicue renuntiatio pro curia et creatio a magistratu hoc loco distinguantur.

Certiores facti sumus, quomodo comitia haberentur in municipiis Flaviis; magistratuum creationem in comitiis etiam aetate DOMITIANI magni momenti fuisse in municipiis Latinis, magnas quoque cautiones adhibitas esse cum suffragia ferrentur cognovimus; insuper etiam huc pertinet placitum quod Capite 58 legis Malacitanae continetur; ubi cavetur: „ne quis intercedito neve quid aliud facito quominus in eo municipio hac lege comitia habeantur perficiantur." Formulae illae „ne quis intercedito neve quid aliud facito," quae etiam in lege Julia municipali [1]) et in lege Rubria legitur [2]), postrema verba [3]) non tantum, opinor, ad solos magistratus spectant sed quam latissime patere videntur et a legis auctore consulto adscripta esse ut innumera alia impedimenta complecteretur haec formula, quibus tam magistratus quam privati prohibere possent quominus comitia perficerentur.

Itaque tam legitimi quam illegitimi comitiorum dirimendorum modi lege Malacitana vetantur. Romae constat saepius comitia a magistratibus, imo ab auguribus [4]), diremta esse, ne dicam de tumultu et vi armata quae tempore CICERONIS ad comitia turbanda adhibita sit [5]).

Lex Malacitana poenam quoque sancivit in eos qui,

---

1) Vide Cap. 12 apud ZELL no. 1682.

2) Vide Cap. 20 in fine apud ZELL no. 1683. Ibi ad solos magistratus respicitur.

3) Verba enim priora „ne quis intercedito" tantum ad magistratus pertinent De intercessione illa interdicta suo loco verba faciam.

4) Vide CICERON. *de leg.* 2.12.

5) Vide CICERON. *Or. Phil.* 1.10, 5.4.

legis placito neglecto, comitia turbassent. Cavetur enim in Capite 58 legis: „Qui aliter adversus ea fecerit sciens dolo malo, is in res singulas sestertium decem millia municipibus municipii Flavii Malacitani dare damnas esto." MOMMSEN licet in lege de dolo malo tantum sermo sit, eadem poena magistratum affici putat qui negligenter in comitiis habendis versatus sit [1]. Hoc si verum sit ad culpam sane latam poenam restringere oportet.

Multam illam „in res singulas" solvere debet is qui comitia turbavit; non sufficit enim si complura quis fecerit ad dirimenda comitia, ut semel solvat illam summam, sed propter singula illa facta tota summa solvenda est.

MOMMSEN hanc clausulam poenalem niti putat [2] Scto aliquo quod legem Juliam de ambitu ad municipia extenderit. Licet verum sit legem Juliam, quae MODESTINI tempore in urbe cessaverat [3], Scto ad municipia esse productam, ita ut poena ex Scto afficerentur qui contra legem Juliam peccassent, illo tamen Scto niti placitum legis Mal. non putaverim. Lex Julia enim causae prospici tprorsus diversae ab illa, quae in lege Mal. agitur; nam novimus Sctum illud poenam sancivisse in illum qui contra legem Juliam se candidatum professus esset; igitur lex Julia modum petitionis praescripsisse videtur. Quae cum ita sint, huius legis placitum ad causam nostram transferre non audeo.

IIvirum Malacae comitia habere vidimus, neque alii magistratui hoc licere apparuit; idem dicendum est de potestate

---

[1]) In Opere: *Stadtrechte* p. 424.

[2]) In Opere *Stadtrechte* p. 422. not 87; idem contendit DUBOIS in *Op. l.* p. 79 not 2.

[3]) Vide leg. un. D. *de lege Iul. amb.* (48.14).

senatus habendi, quae neque aedili neque quaestori Malacae et Salpensae competebat.

In Capite enim 68 legis Malacitanae ita cautum est: „Cum ita rationes reddentur, IIvir qui decuriones conscriptosve habebit," unde IIviro soli hanc potestatem lege tribui apparet, nam si ceteris quoque magistratibus jus fuisset senatus habendi, procul dubio haec fere verba fuissent: „*magistratus* qui habebit cet" vel „*quicumque* habebit cet"; propterea ad IIvirum solum verba illa jurisjurandi in leges: „neque se aliter consilium habiturum neque aliter daturum quam ut ex hac lege exque re communi municipum eius municipii censeat fore" spectare supra jam monui. Licet enim GIRAUD, auctore DIRCKSEN [1]), contendat mirum omnino non esse aedilibus facultatem dari senatus habendi [2]), licet quoque in aliis municipiis fortasse ita fuerit, in nostris saltem ita non fuit, nam si adsit IIvir in municipio, ipse senatum habet, si non adsit, praefectus qui eodem jure est in hac causa ac ipse IIvir. „Senatum habere" quid significet, res ipsa docet: nihil aliud est quam „praesidere senatui"; quid autem sit „senatum dare" variis modis explicari potest. Senatum dare enim intelligi potest, sive is qui senatum dat ei cui ipsi convocare non licet [3]), sive is qui senatum praebet aliarum civitatum legationibus [4]). Quid vero hac de re statuendum sit, summus tantum magistratus in municipiis Flaviis jure senatus habendi praeditus est, quod con-

---

[1]) Quem vide in Opere: *ad Tab. Heracl.* p. 161, 162.

[2]) In *Op. l.*, p. 62. Ratione quaesturae an idem contenderet quodammodo dubitavit, vid. p. 63.

[3]) Huic opinioni favet MOMMSEN, *Stadtrechte*, p. 444; ita privatis magistratus conciones dabant.

[4]) Ita LABOULAYE in Opere: *Les Tables*, p. 23; cf. GIRAUD in *Op. l.* p. 61.

venit cum institutis Romanis; Romae enim senatus habebatur a consulibus quique eorum loco erant, et a praetoribus [1]).

Idem quoque in plerisque municipiis juris erat [2]).

In lege Malacitana, uti verbo monui, patroni cooptatio etiam IIviro defertur. Ne tamen ad explicandum institutum accedam quod nondum cognovimus, jam quaero quid est patronatus? Institutum illud, quamquam etiam in municipiis et coloniis Italiae deprehenditur [3]), imprimis ad provincias pertinuisse videtur; origine erat quod ipso nomine indicatur [4]), vinculum pietatis inter patronum et municipes, cuius grave exemplum occurrit in bello civili ab OCTAVIANO contra ANTONIUM gesto: cum enim tota fere Italia OCTAVIANI partes susciperet, Bononienses quia in Antoniorum clientela antiquitus fuerant fidem ANTONIO servarunt, quae causa adeo iusta OCTAVIANO videretur, ut iis publice gratiam fecerit conjurandi cum tota Italia pro partibus suis [5]). Maximo honore patroni habebantur a municipibus [6]), statuaeque saepius in eorum honorem erigebantur [7]). Contra patronos jura et commoda municipum, universorum et singulorum, tueri et patrocinari oportebat [8]); eorum causas defendere debebant, easque tueri praesertim contra nimium arbitrium praesidum et recto-

---

[1]) Vide CICERON, *de leg.* 3, Cap. 4, cf. LIV. 3, Cap. 9 et 29, et CICERON, *ad familiar.* 10, 12.

[2]) Cf. ZUMPT in *Comment. Epigraph.* I, p. 167.

[3]) Vide DIRCKSEN, in Opere: *Civilistische Abhandlungen*, Berlin 1820, p. 61, 65.

[4]) De illo paucis PAULY, *Realencyclopedie* in voce: „patronus."

[5]) Vide SUETONIUM in *Octav.* cap. 17.

[6]) Notum est patronos in albo decurionum ante omnes ceteros scriptos fuisse, cuius exemplum in albo Canusino exstat, vid. ZELL, *Del.* no. 1764.

[7]) Vide CICERONEM, *in Pisonem*, Cap. 11.

[8]) Vide *legem Aciliam*, Cap. 4, ZELL, *Del. Inscript.* no. 1679.

rum; omni denique ope eniti ut ipsam urbem cuius essent patroni ornarent [1]). Propterea municipes plerumque gravissimos viros, senatores, eosve qui magistratu Romae functi erant eligere solebant [2]). Naturam illam et vim patronatus tempore priorum Caesarum non mutavit neque a vetere instituto jam ita degeneraverat illo tempore, ut pro mero honore haberetur [3]). Simile quodammodo erat institutum defensionis civitatis; ex patronatu, ut videtur, sese explicuit, deinde eum excepit [4]), unde defensores nonnunquam patronos appellatos esse notum est [5]). Patroni in lege Malacitana cooptantur a IIviro, ne tamen quis putet omnes omnino patronos *eligi*, addendum est patronatum plerumque ad heredes transire, unde integram gentem illo honore affici videmus et pueros quoque saepius patronos vocari [6]): eligebantur tamen permulti, puta qui colonias deduxerant vulgo patroni coloniae

---

[1]) Vide PLINIUM *Epistol.* Lib. 4, Ep. 1. cf. CICERON. *in Pisonem* Cap. 11.

[2]) Vide album Canusinum de quo cf. ZUMPT in *Comment. Epigraph.* I, p. 123, et BECKER-MARQUARDT in *Op. l.* 3.1. p. 370. Exempla praeterea abundant: CICERO erat patronus Capuae (vide eum *in Or. pro Sextio* Cap. 4.) cf. praeterea *Inscript.* ORELLI no. 491, 156, 784, 1079.

[3]) Hanc sententiam professi sunt DIRCKSEN *Civ. Abhandlung.* p. 62 et SAVIGNY in Opere: *Gesch. des Röm. Rechts im Mittelalter* I, p. 92; contrarium contendit PHILIPPI in egregia commentatione quam scripsit de hoc argumento, vide *Rhein. Museum* 8. p. 500, 502, 503. Apparet quantum mutatus esset patronatus a vetere instituto, quum ipsi praesides cogerent municipes sibi patrocinium deferre; vide leg. 4. 6 Cod. Theod. *de patroc. vic.* Imo tempore HONORII et ARCADII nomen ipsum patronorum prorsus obsoleverat. Vide leg. 6 pr. Cod. Theod. modo laud.

[4]) Vide PHILIPPI *in Comment. laud.* p. 521, 522. Perperam nuper de hac causa disputare videtur KUHN in *Op. laud.* p. 38.

[5]) Vide leg. 4 Cod. Theod. *de def. civ.* (1,29) leg. 8 Cod. Theod. *eiusd. Tit.* leg. 3 et 6 Cod. Iust. *de defens.* (1.55.)

[6]) MARCELLI v. g. erant patroni Siciliae; vide LIV. 25, 29; 26, 32. PSEUDO-ASCON. ad CIC. *div.* p. 100, 105; FABII Allobrogum, vide SALL. *de Conj. Cat.* Cap. 41 FABRICII Samnitum; vide GELL. *Noct. Att.* I, 14.

creabantur [1]). Quaestio vero est cuinam competeret facultas patroni eligendi, de quo argumento nonnulla in hac lege cauta sunt.

Dubio obnoxium non est quin, instituto comitiorum in municipiis florente, patroni in comitiis creati sint; tempore tamen Caesarum quaeritur utrum comitia patronum elegerint accedente decurionum decreto, an ipsi decuriones.

Huic opinioni, cui favent MARQUARDT [2]) et ZUMPT [3]), primum obstare videtur quod in plurimis decretis de patronatu quae supersunt popu lifit mentio [4]), ac praeterea eadem satis refellitur ipsa lege Malacitana. In Capite 61 legis enim cavetur „Ne quis patronum publice municipibus municipii Flavii Malacitani cooptato patrociniumve cui deferto nisi ex maioris partis decurionum decreto."

Decernunt itaque de cooptatione decuriones; ex hoc decreto magistratus patronum cooptat [5]); cooptatio illa Malacae facta esse videtur populi consensu. De ratione qua consensus ille interponeretur, audiamus virum cl. PHILIPPI, qui quamvis perperam de magistratibus in municipiis aetate priorum Caesarum disputet, in hac causa tamen non multum a vero aberrasse videtur. Dixit [6]): „Das Wahrscheinliche ist folgendes; Einmal; die Curie schlägt Jemandem zum Patron vor, die Plebs,

---

1) Vide CICERON., *pro Sulla*, Cap. 21.

2) Vide v. g. BECKER-MARQUARDT, 3, 1, p. 372.

3) ZUMPT in *Comment. Epigraph.* I, p. 124.

4) Vide tabulam patronatus apud ZELL, *Del. Inscr.* no. 1760, addantur *Inscript.* ORELLI no. 106, 107, 3647, 3767, 3888.

5) ZUMPT, in *Comment. laud.* I, p. 113, „cooptatos" Latino sermone dici contendit eos quicunque ab iis quorum collegae fiunt electi sunt. Quamvis hoc in universum verum sit, variae tamen exceptiones inveniuntur. Ne dicam de hac lege, in lege Julia municipali magistratus in senatum cooptare dicuntur. Vide caput 5 et DIRCKSEN, *Observ.* ad hunc locum, p. 22.

6) In *Comment laud.* p. 512.

votirt über ihn in den verschiedenen Gilden und den Designirten ernennt wieder die Curie durch Decret definitiv. Oder die Willensaüszerung ist eine ganz formlose, indem die Menge im Theater oder in den Rennbahn wie es in den Hauptstädten damals bei wichtigeren Dingen geschah, in Acclamationen zu Gunsten einer bestimmten Person ausbrach, und die Decurionen dann nachträglich einen Beschlusz darüber fassen." Quamvis quod secundo loco disputat nonnumquam factum esse constet [1]), imo postea fortasse fieri *soleret*, Malacae tamen usu venisse non videtur, etenim ratio comitiorum habendorum in lege nostra municipali accurate exposita est. Malacae cooptatio ex decreto decurionum a populo in comitiis confirmanda erat; populi partes in hac causa, uti MOMMSEN conjecit [2]), in lege Malacitana voce *„publice"* indicantur, quae in prima Capitis periodo legitur.

Decretum ordinis tamen, uti supra jam monui, summi erat momenti; semperque, ut videtur, a populo confirmabatur.

Magistratus adversus hanc legem patrocinium alicui deferens decem millia sestertiorum municipio Malacitano dare cogebatur.

Superest ut ostendam IIvirum in municipiis ministerio functum esse quod Romae censoribus esset mandatum.

Censori Romae in urbe post legem Oviniam [3]), antea consuli, lectio Senatus competebat. Neque lex Malacitana neque lex Salpensana de lectione ordinis quid continet; nonnulla tamen suadent ut hanc potestatem IIviro tribuamus.

Si enim legem Juliam municipalem conferas, jus legendi

---

[1]) Vide locos apud PHILIPPI p. 512. not. 2 citatos.

[2]) *Stadtrechte* p. 454.

[3]) Vide FESTUM, *de Verb. Sign.* p. 246 ed MÜLLER.

sublegendi decuriones illa lege IIviris vel IVviris datum videbis iisve magistratibus qui dignitate aequales sunt illis [1]); probabilior etiam fit sententia mea si reputes ex legibus Flaviis complura officia quae Romae mandata essent censoribus, IIviris incumbere [2]).

Ex cautione quam praestare debet IIvir „de pecunia communi" perspicue apparet eum gerere in republica; continet praeterea lex Malacitana nonnulla placita quibus pecuniae publicae administratio ei defertur. Ita enim in Capite 63 legis Malacitanae sancitum: „Qui IIvir juri dicundo praeerit vectigalia ultroquetributa sive quid aliud communi nomine municipum eius municipii locari oportebit, locato." Solebant IIviri in municipiis vectigalia locare, quod egregie testatur lex Puteolana [3]). Censores Romae locationibus illis praeerant; vectigalia quam maximi, ultrotributa quam minimi locabantur [4]). Publice sive in conspectu populi Romani locatio censoribus perficienda erat [5]); si nimium magno conduxissent publicani, Senatus horum petitione motus, locationem inducere poterat [6]). Qui conducebant, ut obiter addam, publicani dicebantur [7]).

Memini, quum de Senatu municipali disputarem, me dicere magnas eius partes non fuisse Malacae in administranda pe-

---

1) Vide Caput 5 legis Juliae apud ZELL *Del. Inscr.* no. 1682; addatur DIRCKSEN in Opere: *Observationes*, etc. p. 13—21.

2) V. g. locatio vectigalium ultroque tributorum; vide *leg. Mal.* Cap. 63.

3) Vide eam apud ZELL *Del. Inscript.* no. 1751; addatur lex 2 § 4 D. *ad mun.* (50.1).

4) Vide LIVIUM, Lib. 39, Cap. 44.

5) Vide CICERONEM, *de lege agrar.* 1.3, 2.21.

6) Vide CICERONEM, *ad Attic.* I, Cap. 17, et LIVIUM Lib. 39. Cap. 44.

7) Vide leg. 1 § 1; leg. 12 § 3. D. *de publicanis* (39.4); postea de iis plura addam.

cunia publica; confirmantur haec ipso Capite 63 legis, ubi cautum est: „Quasque locationes fecerit quasque leges dixerit, quanti quid locatum sit [1]), et qui praedes accepti sint quaeque praedia subdita subsignata obligatave sint, quique praediorum cognitores accepti sint, in tabulas communes municipum eius municipii referantur facito et proposita habeto per omne reliquum tempus honoris sui [2]), ita ut de plano recte legi possint."

Hisce omnibus Ordo sese immiscere non potest; suo arbitrio locationis leges dicit IIvir quae Romae rursus a censore dicuntur; unde saepius censoriae leges memorantur. Vigebant illae leges a censoribus propositae non tantum per totum lustrum sed paulatim inde quodammodo certum jus ortum est [3]), quia leges, quamvis nonnunquam corrigerentur [4]), summatim prorsus eaedem manebant. Non tantum liberi erant IIviri in legibus locationi dicendis; eorum erat quoque dijudicare utrum sufficerent cautiones populo a conductoribus datae.

Eorum arbitratu enim praedes dantur sive ab iis qui IIviratum vel quaesturam petunt [5]), sive a conductoribus vectigalium; unde dicuntur praedes accipere [6]). Romae magistratus non semper iidem praedes accipiebant: praedes sacramenti enim

---

1) ZIMMERMAN in Opere: *De notione et historia cautionis praedibus praediisque* Berolini 1857, p. 18 vocem „*quanti*" refert tam ad vocabula „quid locatum sit" quam ad vocem „praedes," ita ut tum Gen. sing. tum Nom. plur. esset. Melius MOMMSEN vocem „qui" textui inseruit ante „praedes accepti sint", ita ut pro solo Genitivo pretii habendum sit vocabulum „*quanti.*"

2) Vocabulum „reliquum" indicare videtur locationes Malacae a IIviris peractas non simul ac magistratum iniissent, sed postquam jam aliquamdiu honorem gessissent, imo fortasse sub finem honoris sui.

3) Vide BECKER-MARQUARDT 2, 2. p. 234, 235.

4) Viee CICERONEM, *in Verrem.* I, Cap. 55.

5) Vide Cap. 60 *legis Mal.*

6) Vide praeter *leg. Mal.* Cap. 60. 63. *legem Aciliam.* Cap. 17.

praetor accipit [1]), a damnato criminis repetundarum quaestor [2]); praedes publicanorum procul dubio censor, qui locationes egerat, accipiebat. Tempore Caesarum praefectis aerario hoc mandatum fuisse ex lege Malacitana apparet [3]).

In municipiis, teste lege Puteolana, IIviri praedes accipiunt. Et si non satis cautum magistratui videatur praedibus, praedia quoque subsignari jubet: item cognitores praediorum accipit IIvir suo arbitratu [4]); curare debet IIvir ut omnia illa in tabulas publicas referantur. Item IIviri in Capite 66 legis Mal. multas quas ipsi sive aediles dixerint in tabulas publicas referri jubent. Ipse referendi actus in utraque causa [5]) alii magistratui incumbit.

Plane liberum erat, uti docet lex Malacitana, arbitrium IIviri in locatione perficienda, in legibus illi dicendis et in praedibus praediisque et cognitoribus accipiendis [6]). Fortasse ne abuteretur sua potestate, IIvir jubetur omnia illa proponere per reliquum tempus honoris, ita ut de plano recte legi possint; cuiusvis enim municipis intererat recte ac prudenter

---

[1]) Vide GAIUM, *Inst.* Lib. 4, § 13.

[2]) Vide *leg. Aciliam caput laud.*

[3]) Cf. *legis Mal.* Cap. 64.

[4]) Vide Cap. 60, 63, *legis Malacitanae.*

[5]) Perperam MOMMSEN *Stadtrechte* p. 443, et DERNBURG in *Comment. laud.* p. 85. contendunt relationem de multis ipsi IIviro mandatam esse. Legis verba contrarium docent.

[6]) In lege *Acilia*, Cap. 17 arbitrium magistratus quodammodo circumscribitur. Requiritur enim ibi sententia majoris partis consilii.

Caeterum praedum, praediorum, cognitorum condicio ita esse debet ut accipi possint a magistratu; requiritur ut praedes, cognitores sint soluti, similiter ut praedia sint soluta; vide leg. agrar. Cap. 20 ZELL no 1678). Romae, ut hoc addam, praedia in dominio juris Quiritium esse oportebat eorum qui subsignarent; cf. RIVIER, qui uberius de requisitis praedum et praediorum disputat in *Op. l.* p. 49 – 53.

administrari pecuniam publicam [1]). LABOULAYE animadvertit eiusmodi praescriptum Romae non exstitisse [2]), quod tamen MOMMSEN [3]) recte, ut videtur, explicat ex more Romanorum edicta aliaque similia quae in annum perpetuo essent valitura etiam per totum annum proponendi.

Neque tantum praedes accipiebantur a IIviro; sunt causae quibus venire possint et venditioni quoque huic IIviri praesunt in municipiis. Diserte potestas vendendi in Capite 64 legis Mal. iis tribuitur, ibi enim legitur: „IIviris qui ibi juri dicundo praeerunt vendere legemque his vendundis dicere jus potestasque esto [4]).” Plane liberum in hac causa IIviri arbitrium non est, potestas illa enim non datur alterutri IIviro, verum tamen „ambobus alterive eorum ex decurionum conscriptorumve decreto.” Eiusmodi placitum legem quoque Salpensanam continere supra jam animadverti [5]). Romae non semper iisdem magistratibus competebat potestas illa: tempore reipublicae omnes fere magistratus illa praeditos fuisse puto, quod CICERO testari videtur [6]), cum exclamat: „Ubi illa consuetudo in bonis, praedibus praediisque vendendis, omnium consulum, censorum, praetorum, quaestorum denique, ut optima conditione sit is, cuia res cuium periculum.” Sub

---

[1]) DERNBURG, in *Comment. l.* p. 80, eo consilio in lege ita cautum esse dicit, ut magistratui quivis indicare posset, si res familiaris alicuius ex praedibus vel cognitoribus periclitaretur.

[2]) In Opere: *les Tables*, p. 46 not 43.

[3]) In Opere: *Stadtrechte* p. 446.

[4]) De praedum praediorumque venditione ex lege Malacitana hoc loco plura non addam; tanti momenti est tum venditio illa tum obligatio quae venditioni illi ansam dat ut in hoc argumentum postquam de magistratibus disputatio ad finem perducta sit, peculiarem disquisitionem instituturus sim.

[5]) Vide supra *Diss.* p. 80, 101.

[6]) Vide auct. in Orat. *in Verrem.* II, 1 Cap. 54 § 142.

Caesaribus impertita erat praefectis aerario potestas vendendi [1]).

Denique IIviri, ut hoc postremo loco addam, mandare possunt jurisdictionem. Singularis non est haec facultas quae IIviro Capite 25 legis Salpensanae conceditur, eum enim qui jurisdictionem haberet suo jure, illam quoque mandare potuisse more majorum erat comparatum [2]). De iis quibus mandant jurisdictionem IIviri nunc verba facienda sunt.

---

§ 2. De Praefectis.

Praefecti extraordinarii sunt magistratus in municipiis Flaviis; eorum duo genera in lege Salpensana memorantur, etenim iuxta praefectos IIviri lex illorum quoque meminit qui ab Imperatore instituti essent; ne vero hi confundantur praefecti cum iis qui alibi aliumque in finem constituerentur, pauca universa de praefectis hoc loco inserere juvat.

Sunt autem quatuor genera praefectorum municipalium; de hac re consentiunt omnes fere interpretes post egregiam commentationem quam de praefectis scripsit vir cl. ZUMPT [3]).

Ad primum genus referuntur qui a praetore in civitates mittebantur, unde praefecturae appellatae sunt. [4])

---

1) Vide Cap. 64 *leg. Mal.* et SUETON. *in vita Claudii* Cap. 9.

2) Vide leg. 5 D. *de jurid.* (2.1.)

3) In *Commentatione Epigraph.* I, p. 50—69.

4) De illis disserere huius loci non est; sufficiat indicare auctores qui de hoc argumento conferri merentur, inter quos vide C. G. ZUMPT in *Comm.* supra laud. *Actis Berol. inserta* p. 115—120, et PAULY *Real-Encyclopedie* in voce „*Praefectura*" qui summatim ei assentitur; cf. quoque DUBOIS in *Op. l.* p. 19.20.

Aliud est genus eorum praefectorum qui jus dicebant in vicis et oppidulis, quae municipiis quibusdam attributi erant neque ipsi rempublicam habebant; iis, quum a magistratibus municipiorum acciperent praefectos iuri dicundo, nonnunquam quoque nomen praefecturae impertiebatur [1].

Tertio loco praefecti qui ab Imperatoribus eligebantur in censum veniunt, de quibus et lex Salpensana praetereaque multae inscriptiones mentionem faciunt. [2] De quarto genere sc. de praefectis pro IIviris, qui licet inter se diversi sint, tamen uno nomine comprehendi possint, ZUMPT non eadem diligentia disputasse mihi videtur ac de ceteris huius argumenti partibus [3].

Praefectos illos in genere, licet KUHN contradicat [4], ita a ceteris magistratibus [5] distingui posse puto, quod vulgo [6] ab alio superiore (Imperatore, praetore, IIviro pro causarum diversitate), hi contra in comitiis creati sint. De hac praefectorum singulari natura, quae jam ex ipsa ratione mandati quo constituuntur explicanda est, non tantum in lege Salpensana mentio est: ne dicam enim de similibus praefectis apud Romanos, v. g. de praefecto urbi qui a consulibus creabatur [7], neve de variis magistratibus qui, quum ab Imperatore creari

---

[1]) Vide SICULUM FLACCUM in *Gromaticis Veter.* ed. LACHMAN p. 159; praeterea cf. Inscriptiones quas laudat ZUMPT in *Comm. Epigraph.* I, p. 56.

[2]) Vide ORELLI *Inscript.* no. 3874. 3875. 3877 praeterea cf. SPARTIANUM in *vita Hadriani* Cap. 19.

[3]) Paulo post de eius disputatione agere in animo est.

[4]) In *Op. l.* p. 237.

[5]) Nonnunquam re vera praefecti e magistratuum numero eximuntur; vide ORELLI *Inscript.* no. 2263.

[6]) Sunt tamen exceptiones; vide ORELLI *Inscript.* no. 3818.

[7]) Vide TACITUM in *Annal.* Lib. 6. Cap. 11. SUETONIUM in *vita Caesaris* Cap. 76.

coepti essent, praefecti appellati sunt [1]; in municipiis omnino saepius praefectos constitutos video quum comitia haberi non possent [2]; unde sequitur eos creari non potuisse comitiis. Praefectos vicorum vel pagorum a magistratu municipii vel coloniae missos esse compluribus veterum testimoniis probatur [3]. Ipsos praefectos Caesaris vel IIviri quorum in hac lege sermo est eodem modo eligi apparebit.

De hisce solis praefectis lex Salpensana loquitur; in Capite 24 legis praefectus Imperatoris memoratur; in Capite sequenti praefectus IIviri; sunt ambo praefecti juri dicundo, etenim licet praefecti Caesaris hac lege illo cognomine non ornentur inde efficiendum non est utrumque non aeque jurisdictioni praefuisse [4]. Aeque tam praefecto Caesaris quam ei qui pro IIviro fungitur multae dictio competit; facultas illa enim Capite 66 legis Mal. in genere praefectis tribuitur nulla ratione habita eius a quo sint electi.

Caput 24 legis Salpensanae tantum de casu agit quo Imperator DOMITIANUS IIvir crearetur; praefectum ab eo constitutum eo jure esse jubet, quo ipse Imperator esset qui solus IIvir crearetur Salpensae.

Saepius accidit ut in Imperatorem ejusque liberos honores municipales deferrentur, quos quum ipsi gerere non possent, praefectis mandare solerent [5]. Plerumque, ut acute

---

1) Praefecti classis v. g. quamdiu a populo creabantur IIviri navales appellabantur; vide LIV. 9, 30, 40. 18.

2) Cf. ZUMPT in *Comment. Epigraph.* I, p. 59.

3) Vide *Inscriptiones* ORELLI no. 121, imprimis tamen SICULUM FLACCUM in loco p. 135. not 1 *Diss.* laud.

4) Satis perspicuum hoc videtur, nam tam praefecti Caesaris quam qui IIviri locum sustinent, eodem jure essse iubentur ac IIviri ipsi; igitur jurisdictioni praesunt. Cf. omnino *Cenotaphia Pisana* apud ZELL no. 1749. Cap. 2.

5) Vide supra p. 135 not. 2.

conjecit ZUMPT [1]), Imperatorem magistratum creatum esse puto in municipiis cum tanta flagraret ambitio ut magistratus ordinarii recte creari non possent; „suscepto honore nominatoque pro se praefecto sua auctoritate Caesar res componebat." Idem auctor voluit [2]) Imperatorem solitum fuisse praefectos eligere ex decurionibus illius civitatis cuius honorem gereret; poterat sane id facere, cum vero lex Salpensana facultatem eligendi nullis finibus circumscribat, saltem juris non fuisse videtur.

Eodem jure utitur praefectus ac Caesar IIvir; igitur jus dicit, comitia et senatum habet, ceterisque eius juribus utitur; praefectura gerenda procul dubio civitatem Romanam quoque consequitur, nam per solitum honoris tempus magistratu fungitur neque igitur in eum valet ratio quae contrarium postulavit in praefectis IIviri [3]). Dubium mihi tamen videtur, num praefectus Caesaris ipse praefectum relinquere potuerit, cum regula illa „jurisdictionem mandari non posse ab eo qui alieno beneficio eam haberet" [4]) ut probabile est, quoque ad praefectum Caesaris spectaret. Caput 25 legis Salpensanae, ut indicat Rubrica, nonnulla praecepta continet de jure praefecti qui a IIviro relictus est.

Praefecti pro IIviro omnes omnino a IIviris ipsis non eligebantur, eos enim volo qui ex lege Petronia fierent praefecti. Ex hac lege eliguntur praefecti in Italia a praetore Romano, in provinciis a proconsulibus vel legatis Caesaris [5]), praefecti vero

---

[1]) In *Comment. Epigraph.* I, p. 59.

[2]) In *eod libro* p. 56.

[3]) Infra haec ratio exposita est: vide *Diss.* p. 141. cf. supra p. 51, 52.

[4]) Cf. leg. 5 D. *de jurisdictione* (2.1.)

[5]) Perperam, ut videtur, de praefectis ex lege Petronia statuunt BURCHARDI in *Op. l.* p. 240 et SAGIGNY, *Vermischte Schriften* III, p. 369, 70 qui praefectos ex lege Petronia fuisse dicunt magistratus illa lege institutos, quos adire debe-

legis Salpensanae a IIviro municipali instituuntur, qui absentia prohibetur quo minus munere suo fungatur. Ad hoc praefectorum pro IIviris discrimen non attendit ZUMPT; omittit prorsus eos qui a IIviro e municipio proficiscente [1]) relinquuntur, praefectosque IIvirorum generaliter ex lege Petronia creatos esse putavit.

De diversis quoque causis leges Petronia et Salpensana agunt. Ex illa enim praefecti eligebantur cum IIvir in municipio quidem aderat, neque tamen suo munere fungi poterat [2]); vel si comitia haberi non potuerant [3]); lex Salpensana vero IIvirum qui posterior municipium relinquit, sc. qui inde proficiscitur postquam collega jam abiit, hunc si eodem die se rediturum non esse putet, praefectum relinquere jubet. Plane convenit hic praefectus cum antiquo praefecto urbi Romae, qui etiam, neutro consule praesente horum munere functurus, ab alterutro ante quam Roma proficisceretur eligebatur [4]).

LABOULAYE animadvertit institutum praefectorum Salpensae necessarium non fuisse quia ibi aderant aediles. Cum enim ZUMPT demonstrasset in compluribus municipiis ubi memorantur IVviri, horum duos fuisse IIviros juri dicundo,

---

bant Romani si servos suos feris objiciendos censerent. Rectius de hoc argumento ZUMPT (in *Comment. Epigraph.* p. 58—62) animadvertit, cum praefecti ex lege Petronia memorentur, saepius addita esse verba „ex decurionum decreto" (vide v. g. *Inscript.* ORELLI no. 3679.), unde tamen non sequitur hos praefectos adeo deflectere a communi praefectorum natura ut a curia eligantur, uti voluit DUBOIS in *Op. l.* p. 122, 123; imo decreto decurionum indicabatur comitia haberi non potuisse, ideoque praefectis ex lege Petronia creandis opus esse.

1) Miror eos quoque omitti a viro cons. v. LIER, (vide p. 42. Opusc. *Beschouwingen*, cet,) qui ipse commentationem de tabula Malacitana et Salpensana conscripsit.

2) Uti voluit MOMMSEN *Stadtrechte* p. 447.

3) Cf. DUBOIS in *Op. l.* p. 122.

4) Vide *Diss.* p. 135 not. 7.

duos vero aediles, addit vir cl. [1]): „Mais cette division d'attributions n'empêche pas qu'on ne les appelle quelquefois IVviri juri dicundo et IVviri aediliciae potestatis et pour quelle raison, si non que les uns suppléent les autres au besoin." Postrema haec verba indicant qua re Salpensae, ubi quoque IIviros et aediles nonnunquam collegium facere dicit, praefectis non opus fuisse censeat. Habeo quae huic disputationi opponam.

In multis sane municipiis et coloniis quatuor aderant magistratus [2]), qui eodem nomine comprehendebantur et eiusdem collegii erant participes, verum tamen plane diverso munere fungebantur. Eorum duo erant IIviri qui jus dicebant, duo aediles qui curam viarum, cet. agebant. Tam IIviri quam aediles erant IVviri, cum tamen non eodem munere fungerentur, aediles vocabantur IVviri aediliciae potestatis, IIviri vero IVviri juri dicundo. Appellantur igitur illo nomine ut diversae partes potestatis indicentur.

Salpensae revera nonnunquam IIviri et aediles communiter agunt, eos tamen non eadem muneris parte fungi supra jam exposui; unde praefectorum institutum supervacaneum non esse apparuit [3]).

Ex iis quae supra disputata sunt hoc quoque nobis jam apparuit IIviro non licere quemvis praefectum eligere; ut alicuius ratio haberi posset, major esse debebat 35 annorum et insuper ordinis particeps; qui talis condicionis est praefectus

---

[1]) In Opere: *les Tables* p. 21, 22 not 17.

[2]) Nihilominus tamen ubi sunt plures nonnunquam omnes magistratus IVviri dicuntur; vide ZUMPT in *Comment. Epigraph.* I p. 165.

[3]) Vide *Diss.* p. 101 not. 3.

relinqui postest, modo antequam creetur juraverit[1]): „quae IIvirum qui juri dicundo praeest hac lege facere oporteat, se, dum praefectus erit, dumtaxat quae eo tempore fieri possint facturum neque adversus ea facturum scientem dolo malo." Ex argumento jurisjurandi effici potest quam late pateat praefecti ministerium; jurat enim se facturum quae IIvirum facere oporteat; hinc eadem esse videtur potestas IIviri et praefecti pro IIviro, quod confirmatur clausula Capitis ubi de jure praefectorum statuitur; cavetur enim: „Ei qui ita praefectus relictus erit donec in id municipium alteruter ex IIviris redierit in omnibus rebus id jus eaque potestas esto—quod jus quaeque potestas hac lege IIviris qui juri dicundo praeerunt datur." Animadvertere volo, hoc loco statutum esse, quamdiu potestate illa utantur; funguntur enim donec alteruter ex IIviris in municipium reversus sit. Quod ad ipsam potestatem praefectorum attinet, regula est: eandem esse ac IIvirorum; sunt tamen exceptiones.

Ex lege 5 Digestorum *de jurisdictione* saepius citata[2]) jam sequitur praefectum potestatem suam mandare non posse quippe qui utatur illa alieno beneficio; totidem tamen verbis praeterea lege Salpensana docemur ei non competere facultatem praefecti relinquendi[3]). Quocum convenire videntur verba

---

[1]) Erunt qui disputationem de jure jurando huius loci non esse contendant, supraque ubi de requisitis in persona praefecti agitur eam collocandam fuisse putent. Idem non censeo; uti enim jusjurandum Capitis 59 conditio est candidato, ut creari possit magistratus, ita, ut praefectus relinquatur prorsus necesse est ut juret, quod ipsa legis verba indicare videntur: „et cum ita juraverit praefectum eum ejus municipii relinquito."

[2]) Cf. legem 5 D. pr. *de officio cui mand.* (1.21.)

[3]) Hinc MOMMSEN, *Stadtrechte* p. 449 not 174 effecit ei quoque comitiorum habendorum potestatem fuisse denegatam; nescio quo jure; mandare saltem dici nequit potestatem praefectus qui aliquem a populo magistratum electum, creatum renuntiat.

ultima Capitis 25 legis Salp.: „Isque dum praefectus erit quotiensque municipium egressus erit, ne plus quam singulis diebus abesto." Cum enim IIvir qui ex municipio proficiscatur neque eodem die redeat praefectum relinquere jubeatur, praefecto vero denegetur jus potestatis mandandae, convenit in hoc legis placitum interdictum illud ne plus quam diebus singulis praefectus abesset. Denique eosdem non habet effectus praefectura et IIviratus ei qui gessit; civitas enim Romana quam magistratus honore gesto consequatur, abnegatur praefecto pro IIviro. Ratio discriminis in promptu est, quum enim magistratus ordinarii per solitum honoris tempus magistratum gerant, praefecti IIviri non item — funguntur enim per absentiam tantum ordinarii magistratus — hanc ob causam iis non aeque ac IIviris civitas tribuitur. Haec de extraordinariis magistratibus sufficiant; iterum ad ordinarios redeundum est, qui potestate IIviris cedunt; volo autem aediles et quaestores.

---

§ 3. De Aedilibus.

Hic illic jam supra eos Malacae et Salpensae adesse monui; qui fieri non possint exposui, item quomodo creentur; aedilium quoque ministerium me attingere memini: hoc loco accuratius in illud inquirere fas est.

Dolendum quidem pauca tantum de hoc argumento in legum Flaviarum parte superstite tradita esse, gaudemus tamen aliquid saltem superesse.

Ex lege Malacitana probabile est aediles partem quan-

dam jurisdictionis contentiosae habuisse [1]. In Capite enim 68 illius legis jurisdictio IIvirorum circumscribitur minimo mille sestertiorum; itaque cum IIviri in rebus illis minoribus jus non dicant, satis verisimile est eam jurisdictionem aedilibus competiisse. Prorsus convenit cum parte jurisdictionis lege Malacitana iis relicta — quam supra indicavi — aedilitatem inferiorem magistratum IIviratu fuisse.

Neque quis regerat, quod IIviri eximuntur a jure dicundo in nonnullis rebus, idem non probare videtur, facultatem juris dicendi in his *aedilibus* competiisse. Respondeo, cuinam magistratui licuisset nisi aedili jus dicere? Num quaestori? Attamen nunquam et nusquam quaestorem municipalem juri dicundo praeesse vidimus. Accedit quod, quidquid dicat ROTH [2], saepius aediles juri dicundo memorantur [3].

Conjectura illa quodammodo confirmatur argumento Capitis 66 legis Mal., ubi aedilibus multae dictio conceditur quae cum jurisdictione arcte cohaeret. [4]

Itaque aedilibus quoque municipalibus competebat multae dictio [5]: num vero tanti multare possent ac IIviri, dubium videri possit, si attenderis ad ea quae Romae obtinuerunt [6], ubi aediles quoque multandi potestate utebantur. [7]

Praeterea ipso Capite 66 continetur placitum quo de potestate aedilitia magis constat. Legitur enim ibi: „Multas — dictas ab aedilibus quas aediles dixisse se apud IIviros ambo

---

1) Cf. DUBOIS in *Op. l.* p. 117 not 9.

2) In *Op. l.* p. 97 in fine.

3) Exempla exhibet KUHN in *Op. l.* p. 57 not 390.

4) Cf. leg. 131, § 1 in fine D. *de Verb. Sign.* (50.16).

5) Vide leg. un. § 1 et 2 D. *de via publ.* (43.10).

6) Cf. TAC. *Annal.* 13.28.

7) Vide SCHUBERT in Opere: *de Romanorum aedilibus* Regimontii 1828. p. 494 not. 13, 14.

alterve ex iis professi sunt." Inde enim perspicuum fit quod ex Capite 60 legis Malacitanae jam collegeram (ubi de cautione „pecuniam communem salvam fore" solis aedilibus remissa disputavi) nullam omnino pecuniae publicae administrationem aedilibus competiisse; caeteroquin enim necesse non fuisset ut apud IIviros multas profiterentur.

Romae res sese aliter habuit; pecunia enim multaticia aedilibus concedebatur ut opera publica conficienda curarent [1]).

Plura de aedilium potestate in lege Malacitana et Salpensana non traduntur [2]), quam ob rem ad quaestores transire liceat.

---

§ 4. De Quaestoribus.

Praecepta perpauca tantum ad eos pertinentia lex Salpensana et Malacitana continent.

Supra jam indicavi a candidatis tam quaesturae quam IIviratus cautionem exigi „pecuniam publicam salvam fore." Inde apparuit IIviros et quaestores pecuniam communem tractare. Quid igitur? num eodem munere funguntur? Non puto; quaestoribus curam aerarii publici mandatam esse opinor sub IIviris, ita ut IIviri jubeant, quaestores vero jussa faciant. Haec conjectura nititur imprimis gradu ac necessitudine muneris quod IIviris cum quaestoribus intercedit, tum legis Malacitanae placitis quae de referendis sive locationibus sive multis in tabulas publicas

---

[1]) Vide LIVIUM, Lib. 10 Cap. 33. Lib. 27 Cap. 6. Lib. 30. Cap. 39. Lib. 31. Cap. 50. Lib. 33. Cap. 25.

[2]) Eorum officia descripsit PAPINIANUS in lege unica D. *de via publ. et si quid* (43.10) cf. DUBOIS in *Op. l.* p. 123. 124, ex antiquioribus EV. OTTO in Opere: *de Aedilibus coloniarum et municipiorum.* Traj. ad Rhenum 1732. Cap. 13 p. 461.

agunt. In Capite enim 66 legis IIvir *jubet* multas quae dictae sunt referre in tabulas communes municipii; item eadem lex in Capite 63 statuit: „IIvir facito — ut referantur in tabulas publicas quas locationes fecerit quasque leges dixerit quanti quid locatum sit et qui praedes accepti sint quaeque praedia subsignata obligatave sint quique praediorum cognitores accepti sint." Hisce verbis perspicue demonstratur, curam tabularum publicarum [1]), ipsum referendi munus, mandatum non fuisse IIviris, quod quum ita sit nemo facile dubitaverit quin quaestori munus illud incumberet cum nemo praeter eos gerere soleret in republica.

In iis igitur rationem habent quaestores pecuniae quae reipublicae debetur sive ex multa sive ex locatione conductione vectigalium ultroquetributorum, nominum quoque debitorum, denique omnium quae in aerarium rediguntur quaeque inde erogantur. Similiter in lege agraria praedes praedia [2]) pecuniamque acceptam ex venditione agrorum [3]) quaestoribus qui,

---

[1]) Minus recte de tabulis illis publicis disputare videtur RIVIER in *Op. l.* p. 56, ubi scribit: „Tabulae publicae vel communes können sowohl Acta publica als öffentlich angeschlagene Tafeln sein. In lege Malacitana letzteres." Idem non puto; nullam enim in lege causam invenire possum propter quam Malacae tabulas illas publicas diversas fuisse diceremus ab aliis v. g. in tabula Heracleensi, ubi acta publica indicantur; vide legis Jul. Cap. I et ad hunc locum DIRCKSEN *Civ. Abhandl.* 2, p. 172. Errorem viri doctiss. RIVIER inde ortum esse arbitror, quod, cum IIviro cura mandetur ut et referantur in tabulas publicas locationes eaedemque publice proponantur, ille in tabulis ipsis publicis locationes, cet. proponendas esse censuit; huic tamen opinioni facile ansam dare non posse videntur legis Malacitanae verba: aliud enim est „referre in tabulas publicas" aliud „publice proponere." Accurate actus illi diversi in lege distinguuntur.

[2]) Vide *legis laud.* Cap. 20 apud ZELL *Del. Inscript.* no. 1678. In lege Acilia repetundarum quaestor in tabulas publicas refert; vide caput 17 apud ZELL *Del. Inscr.* no. 1679.

[3]) Vide Caput 35 *eiusd. legis.*

aerario praeerant, referenda curabant. Illi Romae praepositi erant quaestores urbani, qui vocabantur hoc nomine quoniam in ipsa urbe remanebant. Illi stipendium provincialium accipiebant [1]), bona damnatorum publice vendebant [2]), claves aerarii tenebant ex eoque pecuniam erogabant [3]). Senatus partes tamen in pecunia publica administranda magnae erant [4]).

Magistratus praeter IIviros, aediles et quaestores, quorum omnium ministerium exploravi, neque Salpensae neque Malacae memorantur; eorum potestatem cuiusque in suo munere magnam fuisse apparuit, et non nisi in rebus perpaucis alia potestate circumscriptam; attamen ipsa ratio muneris magnas praebebat cautiones ne abuterentur magistratus sua potestate. De his quoque pauca addamus.

Lex Salpensana et Malacitana cautiones illas indicant; omnis enim magistratus erat annuus et duplex, illud procul dubio ne mora, hoc vero ne solitudine corrumperetur.

Illud jam attingere me memini; hoc loco igitur de intercessione verba faciam.

---

§ 5. De Intercessione.

Divisae inter plures magistratus potestatis ratio, quae ex capite imperii in municipia translata erat, eo tanti erat mo-

---

[1]) Vide LIVIUM, Lib. 42. Cap. 6.

[2]) Vide LIVIUM, Lib. 4. Cap. 15; Lib. 38. Cap. 60.

[3]) Vide LIVIUM, Lib. 38. Cap. 55. Quaestorum aerarii ministerium paucis ita complectitur PSEUDO-ASCONIUS ad CICER. *in Verrem*, p. 158: „Quaestores urbani aerarium curabant eiusque pecunias expensas et acceptas in tabulas publicas referre consueverant."

[4]) Cf. LABOULAYE, in Opere: *Essai sur les lois Crim.* p. 45—48.

menti, quod consensus inter eos necessarius erat in omni re, sine hoc enim voluntas alterius magistratus effectu carebat [1]; nam alter in collegam jure intercedendi uti poterat. In omnibus causis, praeter eas quae diserte excipiebantur, intercedere poterant duo magistratus non tantum alter alteri, sed iis quoque qui dignitate cedebant.

Apud Romanos enim regula invaluit: „Par majorve potestas plus valeto" [2]. Magnum privatis facultate illa appellandi magistratum parem vel majorem comparatum erat praesidium contra magistratuum Romanorum potestatem fere regiam.

Idem jus intercessionis competebat pari majorive magistratui in municipiis Flaviis; eadem quoque facultas appellandi municipibus Salpensanis et Malacitanis. Disertis verbis jus illud intercedendi constituitur et explicatur Capite 27 legis Salpensanae, ibi enim legitur: „IIviris inter se, et cum aliquis alterutrum eorum aut utrumque ab aedile aedilibus aut quaestore quaestoribus appellabit, item aedilibus inter se, item quaestoribus inter se intercedendi — jus potestasque esto."

Distinguuntur hoc loco causae diversae; primo, verbis: „IIviris inter se — intercedendi jus esto" collegae IIviri, magistratui *pari* igitur, jus intercessionis tribuitur, neque hoc loco distinguitur utrum intercesserit alteruter ex IIviris *post appellationem* an vero *sua sponte*. Verba quae sequuntur: „et cum aliquis alterutrum eorum aut utrumque ab aedile, aedilibus aut quaestore, quaestoribus appellabit" IIviris deferunt jus intercedendi, quum auxilium eorum imploratur contra aediles

[1] Vide SALLUST. *De Conj. Catilinae* Cap. 6. „Binos imperatores sibi fecere: eo modo minime posse putabant per licentiam insolescere animum humanum;" cf. praeterea de hoc argumento LABOULAYE in Opere: *Essai des Lois Crim.* p. 40.

[2] Vide CICERONEM, *de Legibus* 3, Cap. 3, 4.

vel quaestores; spectant igitur ad intercessionem magistratus *majoris;* reliquis Capitis laudati verbis iterum *pari* potestati jus intercedendi datur, sc. „aedilibus inter se itemque quaestoribus inter se." Aediles jure intercedendi non utebantur in quaestores, unde apparet aediles majore potestate non fuisse quam quaestores.

Intercessioni secundum legem Salpensanam ansam dare potest appellatio.

Cave tamen ne propter vocis similitudinem eosdem effectus illi tribuas atque appellationi sub Imperatoribus usitatae. Discrimen hoc est: appellatio magistratus a sententia judicis quem ipse dederat, praetoris Romani a sententia magistratus municipalis, denique Imperatoris a sententia praetoris eo tendebat ut sententia lata a magistratu minore *reformaretur* ab eo qui majore esset potestate [1]. Appellationis contra in lege Salpensana civibus permissae sive provocationis [2] is erat finis, intercessionisque interpositae is erat effectus ut actus magistratus paris vel minoris plane *summoveretur* [3]. Recte de intercessione VON KELLER ita scripsit [4]: „Sie fand statt in rein negativem nicht reformatorischem sondern cassatorischem Sinne."

Haec de ipso jure intercesssionis ejusque effectu sufficiant; nonnulla addenda de tempore intercessioni et de modo appellationi praescripto. Intercedendum est enim ex lege Salpensana „in triduo proximo quam appellatio facta erit pote-

---

1) Vide v. KELLER, *das Röm. Civilpr.* p. 345, 346. et REIN in *Op. l.* p. 960, 961.

2) Vide CICER. *de Leg.* 3, Cap. 3. cf. quae disputavi *Diss.* p. 74, 75.

3) Cf. clausulam Capitis 27 *legis Salp.*: „ne quis adversus ea quid, quum intercessum erit facito."

4) In Opere: *Das Röm. Civilpr.* p. 344.

ritque intercedi, quod eius adversus hanç legem non fiat et dum ne amplius quam semel quisque eorum in eadem re appelletur."

Ideo haec placita tanti facienda sunt quia prorsus ignotum erat tum intra triduum a die appellationis intercedendum fuisse [1]), tum in eadem causa semel tantum appellare licuisse [2]); lege Salpensana edoctus idem Romae jure et more obtinuisse conjicio tempore reipublicae. LABOULAYE contra cum terminum intercessioni statutum videret, exclamat [3]): „Il semble même qu'une pareille mesure soit inconciliable avec le caractère absolu des magistratures romaines." Multo magis ei contraria videri debet illorum potestati intercessio in nonnullis legibus prorsus prohibita; neutrum tamen mirum videtur: lege prohibetur intercessio, lege quoque tempus et modus definitur. Lege Salpensana quoque prohibetur intercessio in quibusdam causis; hoc enim significant verba laudata: „quod eius adversus hanc legem non fiat," [4]) notum tamen non est quae fuerint illae causae cum in parte legis superstite non tradantur. In lege Malacitana, quatenus ad nos saltem pervenerit, in una causa prohibita est intercessio, sc. ne comitia habeantur perficiantur [5]).

---

[1]) Biduum vel triduum (tempus differt pro causis diversis) ex die sententiae latae tempus fuisse intra quod sub Imperatoribus appellari oporteret notum est ex Digestis; vide leg. 1 § 5. 6. 11. 14. 15. leg. 2 pr. § 1. D. *quando appell. et intra quae tempora* (49.4). Hoc tamen mutatum est a JUSTINIANO, *Novella* 23.

[2]) Notum est JUSTINIANUM appellationem bis non ter concessisse; vide leg. un. Cod. *ne liceat in una* (7.70).

[3]) Vide eum in Op. *les Tables* p. 24.

[4]) Eandem sententiam his verbis tribuit DERNBURG in *Comment. laud.* p. 89.

[5]) Vide Cap. 58 *legis Mal.*

Hac intercessione magistratus in municipiis Flaviis coercebantur, ita ut magna potestas iis tributa non facile nocere posset civibus.

---

§ 6. De ratione qua Magistratus conveniri possunt honore deposito.

Dum honorem gerebant magistratus Romae liberi erant in republica administranda, numero tantum et intercessione coercebantur; brevi tamen tempore honorem gerebant eoque magnopere cautum erat ne in cives abuterentur sua potestate.

Etenim florente republica magistratus honore deposito accusari poterant in comitiis [1]; in centuriatis scilicet cum capitis [2], in tributis vero, cum pecuniae accusarentur [3]. Cives jus accusandi habebant; res ipsa tamen docet ope magistratuum tantum, qui comitia convocarent, jus illud exercere potuisse cives, atque inde accidit ut plerumque magistratus accusare videamus; in comitiis centuriatis praetores [4] vel quaestores [5], in tributis autem tribuni id facerè solebant [6].

Notum est comitia paulatim per delegationem potesta-

---

1) Vide POLYBIUM, Lib. 6. Cap. 15.

2) Vide CICERONEM, *de Rep.* Lib. 2. Cap. 36. *de Legibus* Lib. 3. Cap. 19. cf POLYBIUM Lib. 6. Cap. 14. De ortu comitiorum jurisdictionis conferri meretur LABOULAYE, *Essai*, p. 85, sqq.

3) Vide LIVIUM, Lib. 26. Cap. 3. Lib. 43. Cap. 16. Cf. POLYBIUM 6.14. Exempla condemnationum abundant; vide v. g. LIVIUM, Lib. 3. Cap. 31. Lib. 4. Cap. 44. Lib. 5. Cap. 11,12 et 32.

4) Vide LIVIUM, Lib. 38. Cap. 58,60.

5) Vide LIVIUM, Lib. 2. Cap. 41; Lib. 3. Cap. 24. cf. VARRO *de Ling. Lat.* 6.90.

6) Vide LIVIUM, Lib. 5. Cap. 32.

tem suam in quaestiones transferre coepisse; initio quaestori singulae causae dijudicandae mandabantur [1]), postea quaestiones perpetuae factae sunt [2]). Cum autem saepius Senatores harum quaestionum essent participes, eorum quoque partes in jurisdictione spectandae sunt; caeteroquin injussu populi de civibus Romanis per Senatum agi non poterat [3]). Extra Romam tam ratione habita Italiae quam provinciarum summa jurisdictio Senatui competebat [4]).

Quae si Romae fieri reputes tempore reipublicae, in municipiis quoque huiusmodi quid procul dubio non prorsus desiderabatur; leges Flaviae tamen pauca de hoc argumento continent, ita ut illas hic illic supplere cogamur.

Verisimile est magistratus municipales capite quoque accusari potuisse; quaestio vero sic oritur, cui haec accusatio cognoscenda atque dijudicanda fuerit?

Comitiorum, quae caeteroquin tempore DOMITIANI magna in municipiis Flaviis utebantur potestate, parvae procul dubio erant partes in jurisdictione; testatur, opinor, ipsa lex Malacitana, quae docet provocationem multarum a magistratu impositarum comitiis denegatam, imo Senatui concessam fuisse.

Neque tamen propterea puto Ordinem jurisdictione criminali usum esse, imo si reputes plenum imperium in provinciis apud proconsules fuisse, ii quoque de eiusmodi accusatione magistratuum cognovisse videntur.

Alia quaestio est, num civili quoque lege magistratus con-

---

[1]) Vide leg. 2. § 23. D. *de Or. Juris.* (1.2) cf. LIVIUM, Lib. 4. Cap. 51. Lib. 9. Cap. 26; Lib. 31. Cap. 12.

[2]) Cf. LABOULAYE in Opere: *Essai des lois Crim.* p. 183, sqq.

[3]) Vide LIVIUM, Lib. 4. Cap. 50. Lib. 26. Cap. 33.

[4]) Vide POLYBIUM, 6.13. et LIVIUM, Lib. 10. Cap. 1.

veniri potuerint honore deposito? Non dubito affirmando respondere. Jusjurandum quo adiguntur, cautio quam praestant, quae eo spectant ut res publica salva sit, id satis indicare videntur.

Animadvertatur tamen, quod attinet ad rationem conveniendi magistratus, eodem non redire utrum respublica contra magistratum an privatus agat.

Quum enim respublica damnum ceperat ex gestione magistratus, contra praedes illius agebat qui „rem publicam salvam fore" promiserant, quo facto tum hi tum praedia subsignata venibant, ut postea pluribus indicabo.

Addendum videtur nonnunquam, quum in poenas multasve incidissent magistratus, contra praedes non actum esse [1]), sed actione populari [2]) ipsum conventum esse magistratum.

Longe alia erat agendi ratio, quum magistratus damnum intulerat privatis; tum enim v. g. si minus idoneum dedisset tutorem, praedes non conveniebantur quia, teste ULPIANO, „rempublicam salvam fore" promiserant neque reipublicae intererat quod ad rem pecuniariam attinet pupillis tutores dari [3]), sed ipse magistratus tantum obstrictus erat. Item praedes non tenebantur pro magistratu qui minus idoneum successorem nominaverat [4]); ipse tamen periculum nominati suscipere compellebatur [5]).

---

[1]) Vide leg. 17 § 15. D. *ad mun.* (50.1) et leg. 68 pr. D. *de fidejuss.* (46.1).

[2]) Vide Caput 26 *legis Salp.* et Cap. 58 et 61 *legis Mal.*

[3]) Vide legem 2 § 5. D. *ad mun.* (50.1). et leg. 1 pr. D. *de mag. conv.* (27.8).

[4]) Vide leg. 17 § 14, D. *ad mun.* (50.1).

[5]) Vide leg. 2 Cod. *de peric. nom.* (11.33). Quatenus obligetur, docet lex 2 § 7. D. *de adm. rer.* (50.8).

Superest ut quaestionem attingam, quatenus sive qua de re conveniri potuerint magistratus municipales. Ex Digestis [1]) novimus eos vulgo non dolum solummodo sed et latam negligentiam praetereaque diligentiam praestare debuisse; sufficeret hoc ut idem quoque in municipiis Flaviis usu venisse diceremus; leges tamen nostrae in hac quoque causa nobis sint duces.

Malacae Salpensaeque magistratus dolum praestitisse dubio vacat. Ne dicam enim de Capite 26 legis Salp. quo jurare jubentur omnes, quocunque honore functuri sint, se nihil facturos scientes dolo malo, neve de Capite 58 legis Mal., ubi dolum admissum poena coërceri videmus; totidem verbis in Capite 60 lex Malacitana IIviro praescribit: „Ne sine dolo malo praedes accipito." Quamvis haec verba ad IIvirum solum spectent qui comitia habeat quique praedes accipiat a candidatis, nihilominus non dubito quin idem etiam referendum sit ad IIvirum qui praedes accipiat ab iis qui vectigalia ultroquetributa redemissent. Poena tamen quae fuerit, si contra legem fecisset, aliis verbis, si dolo malo praedes accepisset non idoneos, traditum non est; plerumque tamen propter dolum actio in duplum conceditur [2]).

De magistratuum culpa in lege nihil cautum invenimus, ita ut jus commune in hac re observatum fuisse putem.

De magistratibus, opinor, quantum per leges licebat, satis disserui; populi quoque Senatusque potestatem in republica Malacitana et Salpensana exposui, ita ut in jus privatum Malacitanorum et Salpensanorum inquirere jam possemus, nisi superesset, quod supra attingere me memini, argumen-

---

[1]) Vide leg. 6 D. *de adm. rer.* (50.8).

[2]) Vide leg. 9 § 4. D. *de adm. rer.* (50.8).

tum gravissimum quod sine dubio juris publici finibus comprehenditur.

De cautione praedibus praediisque — ad hanc enim respicio, — quam supra magistratum exigere vidimus, apte hoc loco disputari posse videtur; quo instituto exposito ad alteram commentationis partem accedemus.

CAPUT IV.

DE CAUTIONE PRAEDIBUS PRAEDIISQUE.

Hic illic me jam mentionem facere huius cautionis memini; perdignum tamen est hoc argumentum de quo singularis disquisitio instituatur; praesertim cum lege Malacitana magnopere tum historia tum natura effectusque hujus cautionis illustrentur.

Disputatio ergo pertinebit ad cautionem illam et ad obligationem (cui fundamento est cautio) eorum qui pro debito reipublicae semet ipsos obstrinxerunt. De hoc argumento facillime disputabimus, si explicetur deinceps:

§ 1. **Natura cautionis praedibus praediisque ejusque historia.**

§ 2. **Obligatio praedis ejusque rei familiaris.**

§ 3. **Subsignatio praediorum et obligatio cognitorum.**

§ 4. **Praedum et praediorum venditio.**

§ 5. **Jus praediatoris circa res emptas.**

---

§ 1. De natura cautionis praedibus praediisque ejusque historia.

Peculiaris naturae erat haec cautio nam tantum hoc modo cavebatur reipublicae. Praedes igitur, qui ita vocantur quia praevident reipublicae [1]), tempore quo usitata haec cautio, ab eo tantummodo dabantur qui reipublicae sese obligaverat; prorsus idem de praediis [2]) quoque dicendum est. Quod ut constaret, sufficeret fortasse animadvertere in solis fere monumentis publicis mentionem praedum fieri [3]); praeterea tamen compluribus veterum Grammaticorum testimoniis

---

[1]) Vocabulum „praes" ducitur a verbo „praevidere." Haec notatio satis probatur forma longiore quae invenitur in lege agraria sc. „praevides" pro „praedes", vide ZELL, *Del. Inscr.* no. 1678, Cap. 20. Licet complures interpretes v. g. MOMMSEN et ZIMMERMAN de hoc inter se consentiant, aliam tamen prodidit explicationem clar. DERNBURG in Opere: *Das Pfandrecht nach den Grundsätzen des heutigen Römischen Rechts*, Leipzig 1860. I. p. 27; etenim vocabulum „praes" ducit a „prae" et „vas" et addit: „Es sind Leute die vortreten aus der Menge um sich durch ihr Wort dem Staat zu verpflichten." Eandem comprobavit notationem RIVIER in *Op. l.* p. 14, qui radicem „ved" in multis vocabulis quae apud alios populos eadem significatione utuntur inveniri contendit. Assentiri videtur ei H. BROCHER, in Diario: *Revue de droit historique et étranger*, in censura operis cons. RIVIER, Tom. XI. 1863. p. 483, 484. Errat tamen, ut hoc addam, ita de hac notatione disputans ac si a viro cons. RIVIER inventa esset; cf. DERNBURG *l. l.* et PUCHTA in *Op. l.* 2, p. 728 not. 6. Quamvis itaque hi omnes dissentiant, tamen sententiam supra propositam quippe quae tam simplicitate quam longiore illa forma in lege agraria (cf. *legem Malacitanam*, ubi semel, Cap. 64, legitur „praees") satis commendetur, praestare puto.

[2]) Vocabulum „praedium" MOMMSEN et ZIMMERMAN, quibus accedit HUSCHKE in Diario juridico: *Kritische Jahrbücher für deutsche Rechtswissenschaft* herausgegeben von Dr. RICHTER und Dr. SCHNEIDER Leipzig 1841. Tom. X, p. 606, etiam a verbo „praevidere" ducunt. Minus recte tamen, ut videtur; argumento mihi est eadem lex agraria, quae iuxta formam „praevides" habet „praedia;" si enim praedium a „praevidere" ducendum esset, procul dubio scriptum fuisset „praevidia." Ibi enim legitur: „manceps, praevides praediaque soluti sunto." Melius RIVIER in *Op. l.* p. 29 praedium cum voce „praeda" conjungit.

[3]) Vide *leg. agrar.* Cap. 20., *legem Puteolanam* ipsamque *legem Malacitanam.*

hoc diserte affirmatur, ut ex pluribus unum afferam, VARRO [1]) ita loquitur: „Praes: qui a magistratu interrogatus, *in publicum* ut praes sit; a quo et cum respondet dicit „praes." Nihilominus DERNBURG de hac re aliter sentit, contendens etiam privatis praedibus cautum fuisse [2]). Argumento ei fuit locus GAII, in *Institut.* Lib. 4 § 26, ubi in legis actione sacramenti is qui pendente lite rem litigiosam auctoritate magistratus possidet adversario privato praedes dare jubetur. Negari nequit hoc loco exemplum esse praedis privato dati, neque tamen propterea regula illa fallere dicenda est.

MOMMSEN quodammodo conatus est conciliare locum GAII cum opinione communi de praedibus: „Eine Ausnahme," ait [3]), „scheinen allerdings die praedes litis et vindiciarum zu machen welche bei dem ältesten Eigenthumsprocess von dem Besitzer gestellt werden für Ablieferung der Sache an den Kläger im Fall der Verurtheilung; allein man vergisst dabei, dass in diesem Fall das formelle Processobject (das Sacramentum) dem Staate zufiel, also genau genommen es eben das Volk war das durch einen seiner Bürger die Klage erhob, demnach auch mit Recht ihn durch praedes cavirt ward." Prorsus falsa mihi videtur haec disputatio; sacramentum non est objectum litis, potius dicenda poena temere litigantium; pro sacramenti summa, si non statim deponitur, praedes dantur reipublicae, nam aerarium summam sacramenti nomine depositam lucratur, quum quis injuria vindicavit. A praedibus autem

---

1) In Opere: *de Ling. Lat.* 6, 74. cf. FESTUM *de Verb. Sign.* in vocibus: „manceps" ed. MÜLLER p. 151 et „praes" ed. MÜLLER p. 223.

2) In *Comment. laud.* p. 81, 82.

3) In Opere: *Stadtrechte* p. 468.

sacramenti differunt praedes litis et vindiciarum [1]). Quod vero discrimen quamvis ab omnibus interpretibus agnoscatur, viri doct. STINTZING [2]) tamen et MUTHER [3]) probare conati sunt praedes litis et vindiciarum quodammodo reipublicae non privato dari. Prior enim ita disputat: „In der That nämlich scheint die Sicherstellung in der Vindication desshalb durch praedes und nicht durch sponsores geleistet worden zu sein, weil ein ganz reelles Interesse des Staats vorlag. Da der Staat das streitige Eigenthumsobject in seine Hand genommen und einen interimistischen Zustand durch seine Autorität geschaffen hat, so versteht es sich von selbst dass er dafür haftet." Haec disputatio tamen magis dictu speciosa quam vera videtur; vera enim tum demum esset si periculo reipublicae praedes darentur, sed dantur periculo privati litigantis. Modo partes reipublicae in hac causa sunt, curare ut alterutri ex litigantibus possessio rei litigiosae tribuatur praedesque ab hoc adversario dentur. MUTHER l.l. contendit rempublicam sibi ipsi praedes exigere in favorem eius ex litigantibus qui non possideat rem litigiosam; admodum contorta mihi haec explicatio videtur atque verbis GAII contraria, qui praedes *adversario* dari diserte scripsit. Licet igitur illorum disputationem probare non possim, et contendam in causa a GAIO laudata privatis praedes dari, facile tamen hanc causam ita explicari posse puto ut salva sint quae supra contenderim: reipublicae tantum praedibus caveri.

---

[1]) Vide GAIUM, *Inst.* Lib. 4, de praedibus sacramenti § 13, et de praedibus litis et vindiciarum § 16, 94. cf. RUDORFF *Röm. Rechtsgesch.* de his: Tom. 2, p. 129, de illis: Tom. 2, p. 77,78.

[2]) In *Commentatione* quae inserta est Diario Juridico: *die Heidelbergische Kritische Zeitschrift für gesammte Rechtswissenschaft* anni 1856. p. 354.

[3]) In Opere: *Sequestration und Arrest im Römischen Recht* Leipzig 1856. p. 141.

Etenim de tempore locutus sum quo maxime usitabatur cautio praedibus praediisque; antiquitus vero omnes obligationes publicae erant, i. e. auctoritate populi perficiebantur. In omni debito contrahendo, quod olim fiebat nexu i. e. contractu per aes et libram cui accedebant 5 testes cives Romani et libripens, populi auctoritas spectabatur [1]). Praeter has obligationes, quas ZIMMERMAN recte dicit publicas privatorum, alia publica obligatio adest sc. ea in qua populus creditor exsistit. Primis temporibus omnibus obligationibus, quippe quae publicae essent, praedes accessisse puto; postea autem cum obligationes publicae privatorum naturam suam publicam amitterent, reipublicae tantum praedes dabantur. Ex iis sane quae olim obtinuerunt mentio praedum privato datorum a GAIO facta explicanda videtur; tempore vero quo in usu fuit cautio illa, privati sibi inter se non cavebant praedibus praediisque, ubicunque autem populus creditor exsistit ibi quoque cautio illa deprehenditur.

Haec omnia confirmantur usu et historia ipsius cautionis; etenim ex ipsa lege Malacitana cautionem praestari apparet, tum a candidato IIviratus et quaesturae qui pecuniam publicam tractet eamque salvam fore caveat, (Cap. 60) tum a redemptore vectigalium ultroque tributorum qui reipublicae caveat se summam promissam soluturum vel opus susceptum peracturum (Cap. 63), praeterea ubicunque quis narratur contrahere cum populo hunc eodem modo cavere videmus. Is qui v. g. emebat a populo praedes dare praediaque subsignare tenebatur, cuius rei documento est lex agraria [2]), is quoque qui mutuam sumebat pecuniae

---

[1]) Vide HUSCHKE in Opere: *Ueber das Recht des Nexum und das alte Römische Schuldrecht*, Leipzig 1846. p. 7—9.

[2]) Vide Cap. 20 et 35 *legis*; cf. quoque Caput 21, apud ZELL *Del. Inscr.* no. 1678.

summam a populo [1]), is denique qui multam debebat populo [2]). Ad haec argumenta accedit historia cautionis sive potius causa qua factum sit ut cautio praedibus praediisque evanuerit. Prorsus evanuit enim postquam aerarium populi fisco Imperatoris cessit. Fiscus ille sub primis jam Imperatoribus magnam partem redituum publicorum (sc. ex provinciis Imperatoris) ad se traxit; iuxta eum sane etiamtum adfuit aerarium [3]), postea tamen cum omnes provinciae ad Caesares transferrentur, fiscus aerarium prorsus excepit [4]). Ex Digestis apparet fisco fidejussoribus [5]) vel generali in bonis debitorum hypotheca caveri [6]), imo cautionis praedibus praediisque in illis nulla fit mentio [7]). Ratio cur in desuetudinem abierit haec cautio in promptu est, nam fiscus erat

---

[1]) Vide LIVIUM, Lib. 22. Cap. 60.

[2]) Vide GELLIUM, *Noct. Att.* Lib. 6. Cap. 19.

[3]) Vide PLINIUM, *Paneg.* Cap. 26; pluribus de hac causa disputat PUCHTA in *Op. l.* 1 p. 378.

[4]) Unde evenit ut fiscus aerarium diceretur, a quo antea accurate distinguebatur; cf. leg. 13 pr. et 15 pr. § 1. § 3. § 5. *de jure Fisci* (49.14) cf. SERRIGNY in *Opere laud.* I, p. 97.

[5]) Vide leg. 9, pr. D. *de publ. et vect.* (39.4). et leg. 2 § 11 et 12 D. *de adm. rer. ad civ. pert.* (50.8). Pro magistratibus quoque fidejussores cavebant; vide leg. 17. § 15 D. *ad mun.* (50.1). leg. 1 pr. D. *de mag. conv.* (27.8) et leg. unicam Cod. *de periculo eorum qui pro magistr.* (11.35).

[6]) Cf. ZIMMERMAN in *Diss.* p. 54. Temere DERNBURG in Opere: *Pfandr.* I, p. 43,44. cum omnia bona praedum obligata dicantur in Cap. 64 legis Mal., contendit, generalem illam hypothecam a fisco in aerarium translatam esse; cf. ad hunc locum RIVIER in *Op. l.* p. 88.

[7]) DERNBURG, *Pfandr.* I. p. 28, not. 7 contendit in lege 6 § 7. D. *comm. div.* (10.3) „praedibus" legendum esse. MOMMSEN, *Stadtrechte* p. 466 not. 40 ibi legit „praediis." Magis verisimilis mihi videtur conjectura, quam ZIMMERMAN in *Diss.* p. 2 not. 3 proposuit; etenim in lege illa, ubi de cautione damni infecti agitur, scriptum fuisse putat „pro aedibus." Haec conjectura (quod primus animadvertit vir cl. J. E. GOUDSMIT in Commentatione quam inseruit *Diario Juridico „Themis"* 1863 no. 4, quae censuram continet libelli cons. RIVIER vide p. 552) magnopere confirmatur Scholio CYRILLI, BASIL. 12, 2. 6, 8, ubi notatum est ad hunc locum: „ὑπὲρ κοινοῦ τοῦ οἴκου."

privata persona; recte RIVIER: „Der Fiscus," ait, „ist der Kaiser als ökonomische Persönlichkeit;" [1]) quod perspicue probatur constitutione Imperatoris NERVAE quum praetorem instituit qui jus diceret inter fiscum et privatos; [2]) aerarium enim publicum ius suum persequebatur ipsum.

Satis probatam puto sententiam supra propositam, reipublicae tantum praedibus caveri; hoc unum addere iuvat obligationibus quae inter privatos contrahantur semper fidejussores fidepromissores et sponsores, qui uno nomine appromissores appellentur, adhiberi [3]).

Itaque natura cautionis praedibus praediisque perspecta, accedamus ad obligationem eorum examinandam qui tanquam praedes pro aliorum obligationibus sese obstringant.

---

§ 2. De obligatione praedis ejusque rei familiaris.

Praedis obligatio erat accessoria, principalis enim erat eius qui cum republica contrahebat sive magistratus qui pecuniam publicam dolose vel negligenter tractaverat; quod, cum satis notum videatur, ne attigissem quidem, nisi MOMMSEN [4]) contendisset praedum datione ipsum mancipem liberari, eum praedibus datis non amplius obligatum fuisse. Haec autem opinio prorsus pugnat cum natura omnis intercessionis pro debito alieno; etenim GAIUS docet *eadem obligatione* teneri qui accipiantur ab eo

---

[1]) Vide *Opus laud.* p. 86.

[2]) Vide leg. 2 § 32 D. *de Origine Juris* (1.2).

[3]) Vide leg. 43 D. *de solut. et liber.* (46.3) cf. GAIUM *Inst.* Lib. 3 § 115 sqq.

[4]) In Opere: *Stadtrechte* p. 471, not. 41,42.

quem proprio nomine obligemus [1]); pernota quoque est regula illa juris Romani in accessione non plus esse posse quam sit in re principali [2]).

Nihilominus eo processit MOMMSEN ut debitorem principalem praedem fieri posse in sua ipsius causa statuat. Nititur haec assertio loco FESTI [3]), ubi legitur: „Manceps dicitur qui quid a populo emit, conducitve, quia manu sublata significat se auctorem emtionis esse; qui idem praes dicitur." Animadvertas mancipem non praedem appellari, etenim dicitur „idem praes", quod tanquam vocabulum artis accipiendum esse recte iudicat vir cl. GOUDSMIT [4]). FESTUS quoque hoc ipso loco addit, quare ita vocetur manceps, quibus ex verbis apparet falsam esse opinionem quam defendit MOMMSEN; dicit enim: „quia tam praestare debet quod populo promisit quam qui pro eo praes factus est."

Ad obligationem igitur cuiuscunque debitoris reipublicae accedunt praedes; de forma qua praedis obligatio constituta sit, in lege Salpensana sive Malacitana ne verbo quidem sermo est; nihilominus satis constat illam verbis contrahi solitam fuisse. VARRO enim in loco supra laudato et FESTUS illud satis perspicue docent cum narrant praedem interrogatum a magistratu ut praes esset, respondisse: „praes sum." Inde,

---

1) Vid leg. 1 § 8 D. *de Obl. et Act.* (44.7.)

2) Vide GAIUM Lib. 3, § 126 cf. § 113 et Inst. Just. Lib. 3 Tit. 20. § 5, cf. leg. 8 § 7 et 70 pr. D. *de fidejuss.* (46.1). In lege 49 § 2 in fine eiusd. Tit. statuitur contra juris formam esse, fidejussorem in duriorem causam accipi.

3) In definitione vocis „Manceps" ed. MÜLLER p. 151.

4) Vide *Comment. l.* p. 558. Conjectura viri clar. firmatur lege Puteolana (ZELL *Del.* no. 1751), ubi verba leguntur: „C. BLOSSIUS Q. F. H. S. M. D. *Idem praes*". Errat quoque in hoc REIN in *Op. l.* p. 365.

me judice, non licet dubitare, quin praedes verborum obligatione teneantur [1]).

Responso suo praes se suaque omnia obligat; amplitudinem obligationis testatur ipsa lex Malacitana, ubi legimus [2]): „Quicunque in municipio Flavio Malacitano in commune municipum eius municipii praedes facti sunt erunt, quaeque praedia accepta sunt erunt, quique eorum praediorum cognitores facti sunt erunt: ii omnes et quae cuiusque tum erunt, cum praes cognitorve factus est erit, quaeque postea esse, cum ii obligati esse coeperunt, coeperint, qui eorum soluti liberatique non sunt non erunt aut non sine dolo malo sunt erunt, eaque omnia, quae eorum soluta liberataque non sunt non erunt aut non sine dolo malo sunt erunt, in commune municipum eius municipii item obligati obligataque sunto, uti ii eave populo Romano obligati obligatave essent, si aput eos qui Romae aerario praeessent ii praedes iique cognitores facti eaque praedia subdita, subsignata obligatave essent."

Eadem erat procul dubio praedis obligatio atque omnis debitoris quamdiu vel privatae obligationes publice contrahebantur.

---

1) De hac re fere omnes interpretes consentiunt; vide BACHOFEN, in Opere: *Pfandrecht* p. 220 not. 1; REIN in *Op. l.* p. 364 not. 3.; DERNBURG in *Comment. laud.* p. 82, et in Opere: *Pfandrecht* I, p. 27, et RIVIER in *Op. l.* p. 53. Attamen MOMMSEN, quem vide in Opere: *Stadtrechte* p. 468, cui assentiri videtur MUTHER in *Op. laud.* p. 128 in fine, hoc negat contendens rempublicam ab omni forma liberam fuisse. Cf. de hoc argumento auctores laudatos. Perperam quoque MOMMSEN, l.l. not. 32, dicit, quod si verborum obligatione praes teneretur nullum facile discrimen inveniri possit inter praedem et sponsorem: nam

1° praedis modo in publica obligatione usus est, sponsoris tantum in privata;

2° praes semper *soli* reipublicae obligatus est, solutus enim liberatusque, ut est in lege, esse debet, sponsor vero ad plurium debita adhiberi potest;

3° contra praedem obligatione commissa, statim exsecutio procedit; contra sponsorem tantum apud judicem agi potest.

2) Vide Caput 64 *legis Mal.*

Debitor autem primis temporibus jure Romano pro debito non tantum sua bona obligabat verum etiam persona eius creditori prorsus obstricta erat. Omnia omnesque etiam qui debitori subjecti erant una cum eo creditori obligata sunt, accurate igitur RIVIER antiquam debitorum obligationem ita describit [1]: „Nicht das Vermögen wurde gebunden, sondern die Person in ihren gesammten physischen, sittlichen, ökonomischen Beziehungen, in ihrem ganzen Rechtsdasein." Talis erat vetus obligatio nexus [2]; talis etiam obligatio iudicati. Si in rationem inquiramus, cur illi obligationi coniuncta fuerit tanta acerbitas, respondendum est, publicam eius naturam hoc effecisse: id satis probatur obligatione iudicati, quae post magistratus demum decretum tam dura fiebat. Idem dicendum de nexi obligatione, quae populi demum intercessione [3]) eandem asperitatem accepit [4]. Ita ergo olim omnes debitores et procul dubio praedes quoque obligati erant; nam praedes illo tempore omnibus obligationibus adhibitos esse monui. Cum publicam naturam amitterent obligationes, factum est ut etiam illa vi et acerbitate vacarent; necesse tamen erat ut erga debitores reipublicae eadem severitas postea quoque maneret [5].

Paulatim tamen horum quoque debitorum condicio adeo mitigabatur ut non amplius exsecutio fieret in personam sed in sola debitorum bona; eadem ratione praedum condicionem esse mutatam apparet ex Capite 65 legis Mal., ubi

---

[1]) In *Opere laud.* p. 12.

[2]) Vide HUSCHKE in Opere: „*Das Nexum*" p. 51—71. et ZIMMERMAN in *Diss.* p. 11.

[3]) Quinque testes enim populi partes sustinebant.

[4]) Vide HUSCHKE in Opere: *Das Nexum* p. 81. ZIMMERMAN in *Diss. l.* p. 11—13.

[5]) Plura de hac re apud RIVIER in *Op. l.* p. 19, 20.

publicanis qui praedes, praedia, cognitores mercati sint *de iis rebus* agere, *easque res* petere persequi permittitur. Tempore igitur DOMITIANI bona tantum debitoris et praedis obligata sunt; haec obligatio tamen *omnia* eorum bona complectitur, quod, nisi lex Malacitana testata esset, lex agraria docuisset, ubi legitur: „manceps praevides praedia soluti sunto," unde apparet omnes qui se obligassent reipublicae, alio modo obstringi non potuisse [1]).

Qualis vero est obligatio praedis sive eius rei familiaris?

BACHOFEN [2]) statuit omnia bona praedum jure pignoris obligata esse. Nusquam tamen apparet ex fontibus jus pignoris diserte constitutum fuisse in bonis praedum, neque ex verborum obligatione pignus oritur. RIVIER quoque ei oblocutus est, ipse tamen non perspicue exponit, quae fuerit bonorum praedis obligatio; neque quae disputat ad refellendam sententiam viri cl. BACHOFEN nituntur, me judice, idoneis argumentis. Ita enim disputat [3]): „Der praes ist verhaftet kraft des Verbalcontracts", et alibi: „Obligare hat in der classischen Zeit der Cautio praedibus praediisque nur noch die ganz allgemeine Bedeutung des Verpflichtens zu einem Thun oder Lassen. Denn die Bedeutung des zu Pfand Verbindens passt nur auf Sachen." Veruntamen de ipsa bonorum obligatione quaeritur; paulo post RIVIER hisce verbis BACHOFEN reprehendit: „Zu dieser Ansicht kommt BACHOFEN dadurch dasz er die Bezeichnung „obligatus", wo sie

---

1) Ut obiter moneam, ex hoc loco patet, mancipis sive debitoris principalis quoque omnia bona obligata esse.

2) In Opere: *Pfandrecht* p. 223—25. Deceptus testimonio PSEUDO-ASCONII ad CIC. in *Verr.* 2.1. Cap. 54. § 142, contendit, quod etiam voluit BURCHARDI in *Op. l.* 2, p. 580, „bona praedia" pro omnibus bonis obligatis dici; cf tamen de hac re ZIMMERMAN in *Diss.* p. 32, 33 et RIVIER in *Op. l.* p. 69, 70 not. 202.

3) In *Op. l.* p. 68 et 69.

vom Staatsschuldner gebraucht wird auf dessen Vermögen bezieht." Melius, opinor, haec observatio omissa fuisset, postquam in lege Malacitana omnia omnino bona praedum totidem verbis obligata dicuntur. Hisce praemonitis, auctori qui ita vertit: „„„rem obligare" bezeichnet „das Verpfanden,"" ipsi sententiam, quam protulerit BACHOFEN, potius tuendam fuisse opinor.

Equidem ad certam juris civilis obligationis speciem praedum eorumque bonorum obligationem referri non posse puto, quamvis revera verbis illa obligatio contrahatur; imo potius ad pignorationis speciem eam accedere censeo, licet revera non sit jus pignoris; neque quemquam illa generalior dicendi ratio offendat, modo secum reputare velit in praedis obligatione *bonorum* obligationem disertis verbis pressius indicari.

---

§ 3. De subsignatione praediorum eorumque cognitoribus.

Verbo jam monui reipublicae praedibus ac praediis caveri, ne tamen propterea quis putet in omnibus causis, quibus praedes dentur, praediis quoque caveri.

In lege Acilia enim solis praedibus cavet is qui repetundarum condemnatus est [1]; item GELLIUS narrat Luc. Scipionem iussum esse praedes dare, neque ibi praediorum fit mentio [2]; magis facit tamen ad rationem necessitatemque praediorum cognoscendam lex Malacitana, quae docet, quando

---

[1]) Vide Caput 17 legis apud ZELL *Del. Inscr.* no. 1679.

[2]) Vide auct. *Noct. Att.* Lib. 7. Cap. 19.

praedibus datis accedat praediorum subsignatio. Cum enim in Capite 60 legis statuatur de cautione ab eo exigenda, qui IIviratum vel quaesturam petat, arbitratui magistratus relinquitur, utrum praedibus acceptis praedia quoque subsignari velit necne. Etenim ita loco laudato legitur: „Si de ea re iis praedibus minus cautum esse videbitur, praedia subsignato arbitratu eiusdem."

Ne tamen de iis disputare videamur quae nondum explorata sint, antequam in finem et naturam subsignationis inquiramus, primo examinandum est, quae sit subsignatio illa et quomodo peragatur.

Verbum „subsignare," me judice, satis formam indicat, qua fiat ut arctiore vinculo praedia teneantur quam ceterae res obligatae. Nihilominus ZIMMERMAN, qui propriam hac in re sententiam protulit, contendit subsignationem cum subscriptione prorsus non cohaerere sed illo vocabulo significari: „ita signare ut subsit [1])." Quum tamen PAULUM [2]) dicentem audio: „Subsignatum dicitur quod ab aliquo *subscriptum* est; nam veteres subsignationis verbo pro adscriptione uti solebant," et FESTUM: „Resignare antiqui pro rescribere, ut adhuc *subsignare* dicimus pro subscribere" [3]), auctorem nimis aberrare puto a vera notione subsignationis formae. Imo puto revera subscriptione opus fuisse, magistratus si praedia danda censuerit [4]).

---

[1]) In *Op. l.* p. 22.

[2]) In leg. 39 pr. D. *de Verb. Sign.* (50.16).

[3]) Vide Opus saepius laud. *de Verb. Sign.* in voce „*resignare*," ed. MÜLLER p. 281 in fine.

[4]) Vide BRISSONIUM, *de Verb. Sign.* sub voce: „Subsignare." Perperam REIN in *Op. l.* p. 365 contendit praedes etiam ore pofiteri debuisse praedia, quia nonnunquam „subdita" (vide Cap. 63 *legis Mal.)* dicuntur.

Sunt qui contendant praedia semper subsignari a *praedibus*[1]), quod tamen pugnat cum fontibus, nam saepius debitorem principalem praedia dare videmus[2]); imo illa tam ab eo quam a praede subsignari solita fuisse probant SCHOLIA BOBIENSIA ad CICERONEM[3]), ubi legitur: „Et subsignandi haec solebat esse causa ut aut qui vectigalia redimeret aut qui pro mancipe vectigalium fidem suam interponeret loco pignoris praedia sua reipublicae obligarent."

Itaque constat a debitore principali sive a praede praedia *nonnunquam* subsignari, sc. tum demum, si praedibus magistratui satis cautum non esse videatur[4]). Inde oritur quaestio, quae ansam dedit summo dissensui, qui fiat ut praedia illa majorem securitatem afferre possent; quocum conjuncta est alia quaestio: utrum subsignatione in praediis constituatur alia atque nova obligatio necne.

Pauca de hoc argumento sunt testimonia veterum; paucissima a Ictis profecta; eo plura de illo nostra aetate recentiores auctores disputaverunt, quos omnes jure RIVIER ad tres classes rettulit. Nonnulli enim, inter quos imprimis nominandi sunt BURCHARDI[5]) et WALTER[6]), rempublicam praedio-

---

[1]) Vide MOMMSEN, *Stadtrechte* p. 471. Cum autem in Cap. 60 legis Mal. totidem verbis dicatur ab ipso candidato praedia exigi, statuit nonnunquam *loco* praedum debitorem principalem praedia subsignare; (cf. quoque REIN in *Op. l.* p. 365 not 3), quod tamen non convenit cum legis verbis, nam *juxta* praedes praedia a candidato dantur in Capite 60.

[2]) Vide *leg. Puteol.* ubi dicitur: „*Qui redemerit*, praedes dato praediaque subsignato." Cf. quoque legem agrariam Caput 51. et praesertim leg. Mal. Cap. 60.

[3]) In *Oratione pro Flacco*, Cap. 32.4

[4]) Errat igitur REIN cum dicit in *Op. l.* p. 365: „Zur Sicherheit hatte jeder praes seine werthvollsten — Besitzungen — anzugeben," perinde ac si semper, etiam cum praedibus satis cautum jam esset, praedia subsignari solerent.

[5]) In *Op. l.* 2, p. 580.

[6]) In *Op. l.* 2, p. 233 not. 39; de ceteris vide RIVIER in *Op. l.* p. 77.

rum subsignatorum dominum praedicant; ita nempe ut eam fiduciariam creditricem appellent. Summo jure iis obiecit RIVIER nusquam in fontibus rempublicam praediorum dominum appellari; praeterea obstat illorum opinioni quod praedia subsignata semper obligata et soluta dicuntur. Res enim, quae in dominio alicuius sunt, nunquam in jure Romano domino obligatae dicuntur neque solutae quae quondam in dominio fuerunt.

Ipse RIVIER aliam opinionem de jure populi in praedia subsignata fovet. Quippe contendit illa jure pignoris obligata fuisse quod subsignatione constituebatur. Complurium eadem est sententia, in quibus virorum magnae auctoritatis, DERNBURG, RUDORFF et GOUDSMIT; attamen illorum sententiae acquiescere non possum, quia argumenta allata mihi non persuaserunt. Tanto magis oportet singula penitus explorare.

Itaque quaero, quo fundamento nitatur illa opinio? num testimonium ullum adest, quo subsignatione constitui jus pignoris probetur? Nusquam ea vis subsignationi tribuitur.

Nititur ergo illorum opinio eo, quod nonnunquam praedia subsignata pignori vel loco pignoris obligata dicuntur; praeterea contendunt, ubicunque res obligatae dicantur, jus pignoris in illis rebus constitutum esse. Revera VARRO [1]) de praediis subsignatis dicit: „quod ea pignori data mancipis fidem praestant" et SCHOLIASTES in l.l. „loco pignoris praedia reipublicae obligari."

Num probabile est hosce auctores ad ipsum jus pignoris, sc. ad id quod in jure civili hoc nomine vocatur respexisse [2])?

---

[1]) In Op. *de Ling. Lat.* 5, 40.

[2]) Nam hoc ipsum recentiores procul dubio voluerunt, cum de jure pignoris disputant; habet sane multum dubitationis eidem vocabulo varias significationes tribui.

Illud non facile credam, quia satis differt jus pignoris a jure quo utitur respublica in praediis subsignatis.

Etenim, si jus peculiare in praedia subsignata reipublicae competat, procul dubio subsignatione i. e. subscriptione constituitur.

Quomodo autem jus pignoris oritur? RIVIER, ut obiter moneam, explicare neglexit quale jus pignoris [1]) in praediis subsignatio efficiat; melius autem vir clar. GOUDSMIT, qui ad jus illud definiendum dicit: „De staat stelt zich niet in het bezit en heeft ook geene actie als de latere Serviana [2]).” Itaque jus pignoris habere rempublicam voluit in praediis subsignatis quod conventione constituitur [3]).

Jus pignoris igitur quod *nudo pacto* oriatur si praedia reipublicae obligentur, *subscriptione* constitui volunt ita ut instrumentum necessario requiratur [4]).

Praeterea animadvertas magnopere quoque in jure Romano bona differre quae subsignari et ea quae pignoris jure obligari possint; cum enim praedia tantum et jure Romano ea demum quae in dominio juris Quiritium apud debitorem essent, subsignationem reciperent: jure pignoris contra obligari possunt omnes res, quas hisce verbis BA-

---

[1]) De variis illis pignoris juribus vide BACHOFEN, *Pfandrecht* p. 24, 25.

[2]) Vide *Comment. laud.* p. 560 not. 1; cf. quoque DERNBURG in Opere: *Pfandr.* I, p. 35.

[3]) Vide leg. 1 pr. D. *de pign. act.* (13.7.) leg. 4 et 29 pr. D. *de pign. et hyp.* (20.1.). In lege 4 sane sermo est de hypotheca, quod tamen non obstat, nam pignus et hypotheca saepius idem institutum denotant, vide leg. 5 § 1. D. *de pign. et hyp.* (20.1). Cf. F. L. V. KELLER, in Opere: *Pandekten*, Leipzig, 1861, p. 381 et BACHOFEN in *Op. l.* p. 631—634.

[4]) Licet nonnunquam adhibeatur, scriptura non requiritur in jure pignoris nuda conventione constituendo; vide leg. 4 D. *de pign. et hyp.* (20.1.)

CHOFEN comprehendit: „alles bewegliche, unbewegliche, unkörperliche Vermögen" [1]). Haec satis demonstrant, ni fallor, quare cogar statuere VARRONEM et SCHOLIASTEM ad ipsum jus pignoris non spectavisse. Quid igitur? puto eos voluisse praedia subsignata reipublicae ita obligata fuisse ut loco pignoris obligata esse videri possent; neque vitio vertendum, eos jus quo utatu: respublica in praediis subsignatis contulisse cum ipso jure pignoris; nam ad speciem pignorationis obligationem omnium bonorum debitorum et praedum accedere jam monui, quod in bonis subsignatis omnino verius esse apparebit.

Insuper tamen statuerunt, ubicunque „res obligatae" memorentur, haec verba ita esse intelligenda ac si sermo esset de jure pignoris. Nemo negabit nonnunquam hac sententia illa verba accipienda, jure pignoris enim res obligatur; inde quum de jure pignoris agatur, summo jure res in quibus jus illud constitutum sit, obligatae dicuntur, neque tamen semper iis verbis jus pignoris indicari complures probant loci ubi „res in publicum obligatae" a „rebus pignoratis" distinguuntur [2]). Accedit quod in lege Malacitana omnes praedum res quae non subsignantur „obligatae" jam dicuntur.

Argumenta igitur interpretum me movere non possunt ut eorum sententiam amplectar. Sed amplius attendendum ad illud jus pignoris quod subsignatione constitui volunt in praediis.

Verba enim, quibus vir cl. GOUDSMIT jus illud definivit, mihi ansam dant quaestioni, num habuerit respublica jus

---

[1]) Vide leg. 9 § 1. D. *de pign.* (20.1.) leg. 18. pr. D. *de pign. act.* (13.7.) et leg. 1 § 2. D. *quae res pignori* (20.3). Regula tamen quam BACHOFEN proposuit exceptiones fortasse perpaucas habet, vide v. KELLER, *Pandecten* p. 384.

[2]) Vide leg. 16 § 1. *de pign. act.* (13.7). leg. 15 D. *de dote prael.* (33.4.) De varia significatione qua vox „obligare" occurrit in fontibus, cf. BACHOFEN *Pfandr.* p. 225 not. 1.

possessionis praediorum arripiendae, quod jure pignoris privatis competere constat. Num interdictis vetabatur contra apprehensionem possessionis vim fieri [1]? Quo remedio utebatur respublica si bona subsignata everterentur sive fraude alienarentur? Operae pretium fuisset haec omnia accurate indicare.

Denique quid tandem prodest, quaero, jus pignoris illud, quod memorant interpretes, cum res in quibus constituitur, jam ita creditori obligata sint ut obligatione commissa venire possint?

Quamvis igitur jure pignoris hoc non factum esse putem, nihilominus certum est subsignationem praediorum in maiorem crediti securitatem usu venisse, sc. „cum satis cautum non esse videretur praedibus." Ab hisce verbis Capitis 60 igitur proficiscendum videtur in explicando jure reipublicae in praediis subsignatis.

Magis cavebatur subsignatione, licet omnia bona, praedia quoque debitorum et praedum reipublicae obligata jam essent; ergo subscriptione illa praedia videri possent arctius obligari; neque tamen specialem obligationem constitui puto subsignatione, imo probabiliorem duco sententiam quam acriter et prudenter propugnavit ZIMMERMAN, qui subsignationem remedium fuisse putat contra profusionem, negligentiam vel fraudem debitoris. Praes enim, licet obligata essent, bona sua evertere sive fraude alienare poterat. „Huic facillime", ut utar verbis auctoris laudati, [2]) „occurri poterat, si magistratui nonnulla bona, maxime immobilia, domus, agri, quae et a creditore praeferri necesse esset et apud debitorem commodius remanerent, designabantur quae exsecutioni surripi non possent.

---

1) Vide BACHOFEN, *Pfandr.* p. 11, 12.

2) Vide *Diss.* p. 19, 20.

Vetabantur fortasse praedes", ut addit auctor, „praedia illa e bonis eorum designata vendere sive servitutibus onerare." Subsignatione igitur non constituitur nova obligatio neque jus pignoris neque aliud quidquam; sed bona obligata nonnulla designantur in securitatem maiorem creditoris [1]). Itaque semper fortasse subsignatio praediorum tum locum habuit, cum magistratus de fide debitorum sive praedum dubitabat.

Si autem hanc ob causam subsignatio praediorum revera requiratur, explicatum jam est institutum cognitorum qui primi in lege Malacitana memorantur [2]). Si enim de fide subsignantium dubitaretur, non magis horum declarationi de aestimatione praediorum fidem habere poterat magistratus; qua re opus erat nonnullis viris qui pro declaratione subsignantis fidem suam interponerent. Inde hi praediorum cognitores appellantur. Aeque ac praedes, cognitores omnibus bonis suis reipublicae cavent; amplitudine igitur cognitorum obligatio non cedit obligationi praedum; in eo tamen differt, quod cum praedes semper post obligationem commissam exsecutioni obnoxii habeantur, cognitores tum demum teneri incipiunt, si

---

[1]) Quodammodo eandem de subsignatione habet sententiam BACHOFEN in Opere: *Pfandr.* p. 223. Contendit enim subsignationem praediorum designationem esse, cum autem opinetur omnia bona praedum iure pignoris obligata esse, eam dicit specialem designationem praediorum oppigneratorum. Cf. HUSCHKE in Diario: *Kritische Jahrbücher für deutsche Rechtswissenschaft von* RICHTER *und* SCHNEIDER Leipzig 1841 X, p. 605. Addendum est virum cons. RIVIER, quamvis in *Op. l.* p. 78—81 sententiam meam condemnet, nulla argumenta tamen protulisse, quibus nitatur illa condemnatio.

[2]) Alii enim sunt cognitores qui in Digestis v. g in leg. 1 § 8. sqq. D. *de postul.* (3.1). et leg. 1 D. *de his qui not. infam.* (3.2.) et leg. 1, D. *de proc.* (3.3.), in *Vaticanis fragmentis* (vide § 317 sqq.) et apud PAULUM: *Rec. Sent.* Tit. 2. memorantur; etenim hi cognitores lites alterius coram ab eo dati suscipiebant; vide BRISSON. in voce „Cognitor"; addatur quoque FESTUS in eadem voce in Opere: *de Verb. Sign.* ed. MÜLLER, p. 57.

quid eorum in quae cognitores facti sunt ita non erit, i. e. si falsam aestimationem professi sunt [1]).

Similes horum cognitorum mihi videntur juratores quibus censores uti solebant Romae [2]); arbitri quoque ad fidejussores probandos [3]); affirmatores denique tutorum qui in Digestis memorantur [4]).

Haec, opinor, sufficiunt ut aliorum sententia de subsignatione praediorum cognoscatur et mea declaretur. Quod ad cognitores attinet, licet eos supervacaneos putet LABOULAYE [5]), lege Malacitana reperta verisimile duco eos quoque Romae adhibitos fuisse.

---

§ 4. De praedum atque praediorum venditione.

In parte superiori de natura obligationum omnium debitorum publicorum, de natura quoque obligationis praedis disputavi. Amplitudine ac acerbitate maxime erat diversa ab obli-

---

1) Vide Caput 64 *legis Mal.*

2) Vide BECKER-MARQUARDT in *Op. l.* 2.2, p. 202.

3) Cf. leg. 9, 10. D. *qui satisdare coguntur* (2.8.) et leg. 7 § 3. D. *de minoribus* (4.4.)

4) Vide leg. 4 § 3. D. *de fideiuss. et nom.* (27.7).

5) Iis non opus fuisse contendit (in Opere: *les Tables*, p. 46 not. 42, 45 et 46), quia Romae praedia nota erant ex tabulis censoriis; verum quidem est praedia, quae in dominio iuris Quiritium essent (quibus modo caveri posset reipublicae) tabulis censoriis inscripta fuisse; attamen res ipsa docet hanc observationem ratione habita municipiorum Latinorum nullius momenti esse; praeterea Romae cognitores prorsus inutiles fuisse concedere non possem, nam singulis lustris census agebatur, si autem intra hoc tempus praedium esset subsignandum, magnopere pretio minui potuisset inde a tempore census acti, quo fiebat ut cognitores, quippe qui denuo ex vero praedium aestimarent, sane utiles essent.

gationibus quas inter se privati contrahebant. Dura autem imprimis erat propter exsecutionis rationem; publicae obligationis enim is erat effectus ut, obligatione commissa, res et persona debitoris arbitrio creditoris essent traditae; neque amplius erat necesse ut apud judices contra debitorem ageretur. Illis vero in memoriam revocatis, quae supra de mutata ratione publicarum obligationum disputata sunt, facile apparebit hunc modum exsecutionis tantum in iis obligationibus mansisse, in quibus creditor esset populus.

Itaque in debitoribus reipublicae eorumque praedibus talis exsecutio diutissime in more fuit. Operae tamen pretium est animadvertere non tantum legem Malacitanam (ubi fuse de praedum venditione agitur), sed fontes omnino prorsus tacere de exsecutione debitoris principalis. Inde MOMMSEN, opinor, effecit debitorem principalem obligatum non fuisse; sed hanc certe causam non fuisse satis demonstravi; potius more invaluisse dicendum est ut debitor non conveniretur, sed praedes statim venirent. Neque hoc tantopere iniquum videatur; causam probabilem fortasse indicavit RIVIER, qui monuit publicanos societates iniisse, unum ex sociis solitum fuisse redimere, ceteros eius praedes fuisse [1]). Actione pro socio damnum inter se exaequare poterant.

Plura de exsecutione *praedum* ex fontibus cognoscere licet, quae ubique vocatur „praedum praediorumque venditio". Ut ex pluribus [2]) testem afferam legem Malacitanam in Capite 64: „Eosque praedes eaque praedia eosque cognitores, si quid eorum, in quae cognitores facti erunt, ita non erit, qui quaeve

---

[1]) Vide auct. in *Op. l.* p. 98 et 99.

[2]) Vide CICERONEM, v. g. in *Or. contra Verrem* 2. 1. Cap. 54. cf. quoque Rubricam et argumentum Capitis 65 *legis Malac.*

soluti liberati soluta liberataque non sunt non erunt, aut non sine dolo malo sunt erunt, IIviris, qui ibi juri dicundo praeerunt — vendere legemque his vendundis dicere jus potestas esto." Animadvertendum tamen illam dicendi rationem tempore legis Malacitanae latae plane accuratam non esse, verumtamen explicandam esse ex historia huius cautionis. Notum enim est exsecutionem antiquo tempore tam in personam quam in bona debitorum procedere solitam fuisse, ita ut tum recte de venditione praedum caveretur; neque minus tamen innotuit exsecutionem illam paulatim magnopere esse mitigatam [1]), denique prorsus evanuisse; quare praedum venditio quae in lege Malacitana memoratur, intelligenda est de venditione praedis *bonorum*.

Praedes igitur qui nondum soluti sunt [2]) tempore obligationis commissae veneunt; quaeritur tamen utrum statim an tempore quodam interposito venditio procedat. Lex Malacitana, cum tantum praedes praediaque venire statuat, neque in ea fiat mentio 30 justorum dierum qui praescripti sunt lege Xvirali, MOMMSEN, ipsa lege nostra nixus, contendit ante jus XII tabularum creditori in debitores competiisse ius multo severius et acrius illo jure decemvirali, illudque tempore Caesarum etiam viguisse ratione habita debito-

---

[1]) Lege Poetelia v. g. vide v. KELLER, *Civilprocess* p. 351. et RUDORFF, *Röm. Rechtsgesch.* 2, p. 294.

[2]) In lege nostra enim venditio jubetur obligatorum vel dolo malo solutorum. Obligati autem opponuntur solutis; si praes legitimo modo solutus est venire nequit, huius solutionis forma atque sollemnia tradita non sunt. Solutionis effectus fuisse videtur ut nomina praedum quae in acta publica relata essent eraderentur. Cf. RIVIER in *Op. l.* p. 93, 94.

Qui tamen dolo malo sive fraude solutus est, solutus non censetur; obligatus manet, ideoque exsecutioni obnoxius fit.

rum reipublicae [1]). Ex lege Malacitana certe non licet eiusmodi quid colligere; nam executio legis Malacitanae tantum spectat ad bona praedum, placita illa vero legis Xviralis ad exsecutionem in personam.

Attamen non puto in praedum venditione ex lege Malacitana nullam omnino moram debitori concessam fuisse, imo denuntiationem saltem exsecutionem praecessisse conjicere licet, cum in causis similibus exempla huius rei adsint. Etenim quum via tuenda locabatur sumptibus eius quem oportuerat tueri, quique illud facere neglexerat, secundum legem Juliam municipalem aedili locatio illa diebus non minus X antequam fieret, edicenda erat [2]). Ita quoque CICERO locationis, quae sumptibus prioris redemptoris fieret, quam ipse praedum venditionem dicit, diem proscriptam fuisse tradidit [3]); denique si attendas ad rationem debiti postea a fisco exigendi, fiscalibus debitoribus, ad comparandam pecuniam, dilationem quandam petentibus concessam fuisse videmus [4]).

Summi momenti est quaestio, qualis fuerit venditio illa praedum et praediorum? Omnia quae ad hanc causam spectant propter fontium tenuitatem explorare non licet; legibus nostris vero repertis propiores quodammodo accedimus ad veram huius venditionis naturam: Lex Malacitana enim in Capite 64 ita statuit: „Eam legem iis vendundis dicant quam legem eos qui Romae aerario praeerunt e lege praediatoria praedibus praediisque vendundis dicere oporteret, aut si lege praediatoria emptorem non inveniet, quam legem in va-

---

1) Vide auct. in Opere: *Stadtrechte* p. 472, 473.

2) Vide legis caput 2 apud ZELL *Del. Inscr.* no. 1682.

3) Vide *Orat. contra Verrem.* 2. 1. Cap. 54.

4) Vide leg. 45 § 10 D. *de jure fisci* (49.14).

cuum vendendis dicere oporteret;" ex hisce verbis illud saltem nobis innotuit (quod antea ne conjicere quidem licebat) duo venditionis stadia fuisse, ac si in priore venditione quae dicebatur „lege praediatoria" praedum bona emptorem non invenissent, tum eos venisse in vacuum. Licet tamen de hac re constiterit, minime consentiunt interpretes in explicanda illa venditione. Eorum opiniones de natura venditionis pendent ex diversa ratione, qua bona praedum obligata esse ducunt. Operae pretium videtur singulas explorare.

Ut antiquiores, qui hac de re scripserunt, interpretes mittam [1]), BACHOFEN, qui ante legem Malacitanam repertam scripsit, ideoque varia venditionis stadia non distinxit, praedum praediorumque venditionem meram pignoris distractionem fuisse statuit, quod consequens est ipsius opinioni de jure reipublicae in praedum bona et praedia, quippe quae cuncta jure pignoris obligata esse dixerit [2]). Cum autem ipsum pignus tum in ceteris praedum bonis tum in praedi is *contractum* non esse ostenderim, res ipsa docet de *distractione* sermonem esse non posse; multum tamen, ut hoc addam, auctor non aberrat a vera venditionis natura.

MOMMSEN primus venditionem praedum praediorum „lege praediatoria" et „in vacuum" distinxit, illam autem peragi censuit, cum respublica opus publicum ab aliquo redemptum postea tamen improbatum, iterum locet, novum redemptorem tamen loco solutionis, pretium exigere jubeat a praedibus prioris [3]). Haec sententia viri cl. MOMMSEN nititur loco CICERONIS

---

[1]) De iis cf. RIVIER, in *Op. l.* p. 100, ubi addere potuisset BURCHARDI in *Op. l.* 2, p. 581.

[2]) Vide auct. in Opere: *Pfandrecht* p. 219.

[3]) Vide auct. in Opere: *Stadtrechte* p. 474, 475.

ubi, postquam qualem auctor voluit causam laudavit, exclamat: „Ubi illa consuetudo in bonis, praedibus, praediisque vendundis omnium consulum, censorum, praetorum, quaestorum denique, ut optima condicione sit is cuia res cuium periculum [1])?" Revera, puto, CICERO hoc loco locationem sumptibus prioris redemptoris factam praedum venditionem dicit [2]), fugit

---

[1]) In *Orat. contra Verrem.* 2. 1. Cap. 54.

[2]) Nihilominus ZIMMERMAN, in *Diss. laud.* p. 28, sqq. praefracte hoc negat, eique, perinde ac si nihil in contrariam partem disputasset vir cons. H. FECHNER (in Commentatione quam inseruit Diario „*Philologus*" anni 1860, p. 234—269), assentitur RIVIER, qui in *Op. laud.* p. 118 not. 367 ita de hoc loco scripsit: „Die richtige Erklärung gibt ZIMMERMANN, der die Sache so erschöpfend bespricht, dass sie als definitiv abgemacht gelten darf." Explicationi tamen eius assentiri non possum, etenim fontibus contraria videtur. Igitur ipsum CICERONEM consulere oportet.

Auctor *in Verrem* Lib. 1. Cap. 49—59. § 130—154 causam quae dicitur Juniana tradit, quam brevi hisce complecti iuvat.

Aedem Castoris tuendam habuit P. Junius quidam L. Sulla, Q. Metello consulibus; ille mortuus est, reliquit pupillum. Consules proximi anni omnia sarta tecta exigere non poterant. Verri propterea praetori Senatus mandat ut de hac re cognosceret et judicaret (§ 130). Simulac pupillo aedem sartam tectam tradendam esse certior factus est, sperabat fore ut aliquid inveniret in quo posset praedari. (§ 131). Aedem tuendam in proximum annum redemerat Habonius quis; eius opera consilium persequi conatur, nam illi aedem tradere oportebat pupillum. Aedem considerat; quamquam omnia proba sunt, contra locationis legem ut columnae ad perpendiculum exigerentur poscit a pupillo; Habonius, qui primo negat, postea tamen spe lucri adductus id sibi deberi praedicat (§ 132—135). Verres deinde opus improbat; tutores pupilli accurrunt; frustra tamen Verrem movere conati, cum Habonio quod erat vix 40.000 Sest., transigunt 200.000 Sest. (§ 135—141). Praetor tamen, hoc lucro non contentus, columnas ad perpendiculum exigendas locare statuit. Peragitur locatio, alienissimo tamen tempore neque edicto die; attamen in tempus accurrunt tutores ut iterum opus redimerent pro pupillo. Verres tamen pupillum a licitatione excludit, licet satis praedibus cavisset, etenim sibi nullam praedam fore intelligebat, si res abiret ab eo mancipe (Habonio) quem sibi apposuisset. Quae postquam narravit, CICERO ira incitatus: „Ubi," ait, „illa consuetudo in bonis praedibus praediisque vendundis — ut optima condicione sit is, cuja res, cujum periculum." (§ 141, 142).

Verres, ut hoc addam, opus illud quod tutores 80,000 Sest. se effecturos esse clamaverant, 560,000 Sest. addicebat Habonio. (§ 144).

Ratione habita huius verborum contextus simplicissima loci laudati CICE-

tamen virum clar., auctorem improprie ita dicere, aliis verbis, eum *quod causam praebuit praedum venditioni, praedum*

RONIS explicatio esse videtur ut alteram illam locationem praedum venditionem dixerit. Videamus autem de dubiis a viro cons. ZIMMERMAN contra hanc doctrinam prolatis.

I. Auctor (p. 30 initio Diss.) dicit ne appellationis quidem praedum venditionis neque praediatoris mentionem fieri sed simpliciter ubique „locationem" „mancipem" dici. Paulo post animadvertit, in lege Malacitana ad praedum venditionem decreto ordinis opus fuisse, quum Verres manifesto sine senatus auctoritate egerit.

II. Negat causam exsecutionis fuisse; juris privati rationem admiscet, monet tunc demum conveniri conductorem operis quum non solum opus non perfecerit sed nec id quod locatoris perfectum esse interesset praestiterit; idem quoque in debitoribus publicis invaluisse putat. „Quam autem praeclare," addit, „haec omnia ad causam nostram quadrant. Praetor opus condemnat. Tutores, pupilli impensis, privatim reficiendum curant. Quod quomodo facere potuissent, si improbationem continuo praedum venditio sequi solita esset?"

III. Ne verbo denique significari ait ZIMMERMAN Junium praedesque ejus Habonio obligatos esse — „sed si legem," addit, „secundae locationi dictam inspicimus, simpliciter: „pecunia praesens solvetur," legimus. A quo? a populo, quum primus debitor omnino non commemoretur."

Haec sunt fere quae ad suam opinionem firmandam attulit auctor, habeo tamen quae huic disputationi opponam.

Ad Ium. Appellationem praedum venditionis fere non memorari mirum non est; revera enim secunda illa locatio fuit locatio, jure tamen loco laudato CICERO illam praedum venditionem dixit, quia proximus fuerit effectus locationis praedum venditio. Cf. quae ad IIum disputo.

Neque igitur mirum esse potest actus legitimos qui praedum venditioni fuerint proprii locationi illi alteri praescriptos non fuisse.

Ad IIum. Contrarium verum puto; CICERO disertis verbis docet bona praedum prioris debitoris secundo pecuniam praebuisse operi conficiendo, ita enim in Capite 55 laud. § 142. loquitur: „Locatur id opus, quod *ex mea pecunia* reficiatur" cf. quoque Cap. 55 § 144. Accedit quod Verres legem dixit:" Pecunia praesens solvetur." Eo accidit ut praedia quae pro solutione pecuniae subsignata essent statim venire oporteret. Quum igitur inter locationem alteram et praedum venditionem quam brevissimum tantum temporis spatium intercederet, summo jure, ut videtur, CICERO effectum pro causa dixit.

ZIMMERMAN quoque, quippe qui rationem juris privati hue trahat, reputet nullam omnino fieri mentionem in causa Juniana de eo praestando quod intersit; fundamento caret enim ratiocinatio, illam opinionem firmari transactione permissa inter Habonium et tutores. Respondeo:

venditionem appellare. Errat igitur, in eo quod normam omnis praedum venditionis ibi expositam esse putat, quum paulum tantum ad veram huius venditionis notionem cognoscendam locus CICERONIS prosit; ex illo errore jam consequitur, virum cl. MOMMSEN venditionem explicasse illorum praedum tantum qui sese obligaverint pro *redemptoribus operum publicorum*; praedes enim ceterorum reipublicae debitorum ratione ab auctore indicata ne potuissent quidem venire.

Venditionem in vacuum veram bonorum venditionem fuisse statuit, illamque condicionibus quibusdam emptori molestis, quae in venditione lege praediatoria additae essent, caruisse.

1[o] Improbationem causam proximam praedum venditionis non esse sed alteram demum locationem.

2[o] Non transigebatur cum republica; opere a praetore improbato altera tamen locatione nondum perfecta, Habonio qui in annum proximum conduxerat aedem Castoris, cuique igitur aedes erat tradenda, tutores pecuniae summam obtulerant ut damnum illi resarciretur, quod perciperet ex eo quod pupillus aedem traditurus non esset, uti ex lege locationis tradendam Verres finxisset.

Ad IIum. Loci contextus prorsus indicare videtur, commoda Verris praetoris et Habonii redemptoris arcte cohaerere inter se; eum praetor ad se vocat, quam maxime curat ut illi (neque alii; cf. § 148) opus illud in secunda locatione addicatur. Quare, nisi illius opera pupilli pecunia ad eum perventura esset? Denique nonne ipse CICERO hoc confirmat, qui Verrem dicentem facit: „Quid ageret coepit cogitare, si opus pupillo redimeretur, *si res abiret ab eo mancipe quem ipse apposuisset, sibi nullam praedam esse.*" (vide § 141).

Accedit quod in lege locationis addidit Verres: „pecunia praesens solvetur." Cui? Habonius aedem reficiendam redemerat; illi pecuniae summam procul dubio solvere oportebat. Quem autem quaero? Respondet ZIMMERMAN: „populum." CICERO tamen aliter respondit. Cum quaesivisset: „Quibus de bonis." (sc. pecunia solvetur)? „Ejus," ait, „qui quod tu Sest. 560,000 locasti, Sest. 80,000 effecturum se esse clamavit. Quibus de bonis? *pupilli* cujus aetatem et solitudinem, etiamsi tutores non essent, defendere praetor debuit." (§ 146).

Re vera opere quodam publico primum locato, summa locationis populo erat solvenda; opere vero improbato, in altera locatione loco populi prior manceps solvebat; quocum prorsus convenit, quod opera publica quae vulgo quam minimo locabantur tunc tanto locata sunt.

Haec, opinor, sufficient ut appareat quare in interpretatione viri cons. ZIMMERMAN acquiescere non possim.

Veram fuisse venditionem illam quae dicitur in vacuum ego quoque arbitror; de conditionibus tamen illis certum quid statui prorsus nequit.

Nuperrime qui de hoc argumento disputaverunt omnes fere eandem opinionem tuentur; RUDORFF, RIVIER et GOUDSMIT secundum legem Malacitanam duo venditionis stadia distinguentes, praedum venditionem lege praediatoria cessionem juris debiti exigendi fuisse statuunt, eamque „lege praediatoria" appellari dicunt, quia emptores illius juris totam summam solvere oportebat quae a debitore principali deberetur [1]).

In praediis subsignatis jus pignoris constitutum fuisse praedicantes, praediorum venditionem lege praediatoria juris pignoris venditionem fuisse contendunt. Emptorem jurium illorum tantum solvere oportet ac debitor principalis reipublicae debeat [2]).

ZIMMERMAN eandem opinionem de venditione lege praediatoria tuetur; cum vero omnia bona debitorum reipublicae sive praedum et praedia quoque eodem modo obligata esse putet, naturam venditionis pro praediis et ceteris praedum sive debitorum principalium bonis non differre statuit [3]).

In vacuum bona praedum et praedia venire voluerunt, si nemo totam summam solvere voluisset; tum jus illud debiti

---

[1]) Vide RUDORFF, *Röm. Rechtsgesch.* 2, p. 308, RIVIER in *Op. l.* p. 117. et GOUDSMIT in *Comment. l.* p. 562, sqq. Notandum est interpretes alibi, sc. explicantes locum illum SUETONII in vita Claudii Cap. 9, ubi legitur: „Ad eas rei familiaris angustias decidit ut quum obligatam aerario fidem liberare non posset, in vacuum „lege praediatoria" venalis pependerit" praedicasse, vocabula illa „lege praediatoria" addita fuisse ut appareret sermonem non esse de vera venditione sed cessione tantum juris; vide RUDORFF *Röm. Rechtsgesch.* 2, p. 309 not. 16. RIVIER in *Op. l.* p. 117. cf. quoque ZIMMERMAN, in *Diss. l.* p. 48.

[2]) Vide RIVIER in *Op. l.* p. l. et RUDORFF *Röm. Rechtsgesch.* 2, p. 309.

[3]) Vide ZIMMERMAN, *Diss.* p. 46.

exigendi plurimum licenti concedebatur; eamque venditionem „in vacuum" esse dictam putant, quoniam in illa nullum esset pretium praestitutum [1]).

. Ius pignoris in praedia, si in vacuum veniret, eadem condicione venditum esse, qui subsignatione illud constitui voluerunt, contendunt [2]).

Imprimis autem opinio illa de venditione praedum mihi propterea non placet, quoniam ad illam stabiliendam ex fontibus nullum testimonium allegaverunt auctores. Frustra enim ZIMMERMAN [3]) in lege agraria exemplum talis venditionis invenire voluit; legitur in Capite 35 huius legis [4]): „Quicumque pro eo agro, loco, aedificio, qui in Africa est, qui ager, locus Romae publice veniit venieritve, populo eive qui eo nomine a populo mercabitur pecuniam dare debebit, quae pecunia in diebus proximis quibus is ager locus qui in Africa est publice venierit populo soluta non erit, is pro eo agro loco in diebus 120 proximis ea praedia — subsignato." Quid inde sequitur? Nihil, opinor, praeter hoc, emptori agri publici si non solverit populo eive cui pretium exigendum populus locavisset i. e. publicano, praedia subsignanda esse. Eodem capite docemur, si in diebus 120 proximis inde a die venditionis populo sive publicano praedes non dati essent ab emptore neque praedia subsignata essent, rem emptam iterum pecunia praesenti veniisse. Utroque loco de praediatore sermo esse non potest neque de praedum

---

1) Vide ZIMMERMAN in *Diss.* p. 47. RUDORFF *Röm. Rechtsg.* 2, p. 309. RIVIER in *Op. l.* p. 121 et GOUDSMIT in *Comment. l.* p. 565.

2) Cf. auctores laudatos praeter ZIMMERMAN.

3) In *Diss. l.* p. 42, 43.

4) Secundum restitutionem viri cl. RUDORFF.

venditione, quia nondum praedes erant dati neque praedia subsignata.

Interpretes itaque etsi opinionem suam non probent, illam tamen probabilem reddere conantur; ideoque ad analogiam provocare coeperunt, ad exemplum sc. bonorum sectorum atque emptorum: quod tamen argumentum magnam vim habere non videtur. Notum est quae fuerit apud Romanos illa bonorum sectio: fiebat ab iis qui cuncta bona damnatorum, postea proscriptorum, mercabantur eaque singula vendere solebant [1]). Illa bonorum sectione, ut perspicue ex fontibus apparet, sector dominium juris quiritium acquirebat, idque testatus est VARRO, ubi ait [2]): „In emptionibus dominum legitimum sex fere res perficiunt," inter quas recenset: „tum cum in bonis sectioneve cuius publice veniit." Addictione dominium amittebat debitor, sectorque in omnia bona succedebat [3]). Ex hisce apparet, ni fallor, illam sectionem venditionem veram fuisse, sc. talem qua dominium transferretur.

Neque mirum cuiquam videatur [4]), GAIUM praedum venditionem quippe quae dominium omnium bonorum in emptorem conferat, non memorare ubi de successionibus per universitatem disputat (in Libro 3 § 77); nam JCtus vix attigit praedum venditionem, imo publicam omnino obligationem; unum tamen illum locum ubi mentio fiat eius, paulo post opinioni illi interpretum de praedum venditione obstare apparebit.

Sunt tamen praeterea complura, quibus cogar illam

---

[1]) Vide PSEUDO-ASCONIUM ad CICER. in *Verrem.* 2. 1. ORELL. p. 177. addatur FESTUS in voce: Sectores ed. MÜLLER p. 337.

[2]) In Libro *de Re. Rust.* 2, 10. 4.

[3]) Vide GAIUM, *Inst.* Lib. 3. § 154 cf. § 80.

[4]) Cf. ZIMMERMAN in *Diss. l.* p. 47.

opinionem reprobare; mihi enim nimis pugnare videtur cum publica obligationis natura. Hoc enim imprimis proprium fuisse publicae obligationi semper communis opinio fuit, quod obligatione commissa exsecutio locum haberet, nulloque amplius judicis ministerio opus esset. Quid autem secundum eorum opinionem relinquitur ex eo quod de exsecutione ex publica obligatione apud omnes semper constabat? Num cessio illa juris, quae prorsus nullo modo spectat ad debitorem, exsecutio vocari potest? Non potest, opinor. Exsecutio demum locum habet, cum emptor contra debitorem vel praedem agit; solito modo enim apud judicem praedum res persequitur [1]).

Idem prorsus statuendum de praediorum venditione qua tantum id agi statuunt opinionis laudatae fautores, ut jus pignoris, quod habeat respublica, praediator acquirat neque vero ut pignus reapse distrahátur [2]). Denique, ut paulo post apparebit, pugnat eorum opinio cum jure, quod emptorem praedis bonorum in illa acquisivisse docemur.

DERNBURG aliam viam explicandi iniit. De praedum venditione quidem, quomodo fiat, non loquitur, praediorum vero subsignatione dum jus pignoris in ea constitutum arbitratur, eorum venditionem pignoris distractionem fuisse statuit [3]). Ideo eius

---

[1]) Frustra hoc negare videtur vir cl. GOUDSMIT in *Comment. laud.* p. 562. ubi scribit: „De staat draagt zijne *van parate executie voorziene vordering* tegen de borgen over op den praediator." Promta autem illa exsecutio arctissime cohaeret cum publica obligationis natura; publica autem tantum est illa, quia respublica pro creditore est. Si vero populus desiuit esse creditor, privatus quidem eius locum obtinet, ideoque, me judice, obligatio publicam illam naturam amittit. Aeque tenendum est legem Malacitanam (Cap. 65) praediatori permittere ut de rebus emptis agat apud eos qui juri dicundo praeerunt, unde apparet ad exsecutionem suo Marte praediatorem procedere non posse.

[2]) Cf. DERNBURG in Opere: *Pfandrecht* I, p. 38. not. 41.

[3]) Vide auct. in Opere: *Pfandrecht* I, p. 36 – 38 cf. p. 41.

sententia ceterorum opinioni praeferenda est, quod magis accedat ad veram venditionis naturam; imprimis quoque eo commendatur quia recte disputat de jure quod emptor acquirit in praedia illa. Venditionem lege praediatoria fieri opinatur, si minus liceri nemo potest quam summam a debitore principali populo debitam; si autem nemo illam summam plusve solvere volebat, venditio in vacuum instituebatur, quo facto accepto pretio quam posset maximo contentam fuisse rempublicam statuit. Quamvis de hisce condicionibus venditioni adjectis certum quid statui nequeat, habet saltem haec opinio quod alliciat.

Rein, ut postremo loco afferam, qui plurimum ad meam opinionem accedat [1], praedum venditionem veram bonorum venditionem fuisse censet; praediorum subsignatorum venditionem distractionem pignoris dicit, de utroque venditionis modo profert quantum per fontium inopiam licet neque sese in hac re coniecturis commisit.

Superest ut meam sententiam de ipsa hac venditione exponam.

Praedum praediorumque venditionem veram fuisse venditionem puto, eiusmodi scilicet, ut ea dominium transferretur. Non dico quidem in venditione illa omnia praecepta juris civilis usu venisse, potius contra equidem provoco ad exemplum bonorum sectionis, qua fiebat ut cuncta bona damnatorum ad sectores transirent; ita quoque omnes praedum res publice fortasse venibant, itaque in dominium praediatorum transmittebantur.

Post venditionem enim praediatorem dominum illarum rerum factum esse mox apparebit. Imo si huc trahimus quod

---

[1]) In *Op. laud.* p. 365.

postea juris factum est in debitores fisci, revera docemur fiscum solitum fuisse eorum bona distrahere [1]).

Ne objiciatur ita nimis duram agendi rationem fuisse contra debitores reipublicae; nam dilationem iis concessam fuisse conjeci, tum ex causa Juniana modo exposita apparuit praedibus licuisse bona sua rursus emere; imo eos meliore quodammodo jure usos fuisse.

Diversa momenta venditionis, supra jam notavi, nusquam tam accurate distincta fuisse quam in ipsa lege Malacitana. De discrimine autem inter venditionem „lege praediatoria" et „in vacuum" nihil docet haec lex, nisi venditionem in vacuum tantum usu venire si venditio lege praediatoria nullum habuerit effectum. Inde hoc saltem sequi videtur, hanc utiliorem fuisse emptori bonorum quam illam; imo in venditione ex lege praediatoria instituta leges quasdam utiles praedi vel creditori additas fuisse; si nemo bona praedum hisce legibus emere volebat, alia venditio locum habebat quae in vacuum dicebatur, quoniam illae condiciones deficerent. Quales fuerint nescimus, conjicere tantum licet; DERNBURG fortasse non multum a vero aberravit qui, uti jam monui, condiciones perutiles reipublicae in venditione lege praediatoria additas esse voluit.

Primam venditionem „lege praediatoria" dictam esse puto, quia prorsus accommodata erat praeceptis legis praediatoriae [2]), quae de condicionibus quoque statuerit ex more huic venditioni addendis; secunda „in vacuum" dicebatur, quia nulla eius-

---

[1]) Vide leg. 45 § 12 D. *de jure fisci* (49.14).

[2]) Lex praediatoria erat populi Scitum incertae aetatis, quod non tantum hoc loco, sed apud GAIUM fortasse quoque memoratur (Lib. 4 § 28); de illa cf. MOMMSEN *Stadtrechte* p. 474 not. 44, DERNBURG in Opere: *Pfandrecht* I, p. 36, RIVIER in *Op. l.* p. 109—112, addatur GOUDSMIT in *Comment. l.* p. 563.

modi condicio erat addita, et si conjectura viri cl. DERNBURG comprobetur, nullum pretium erat substitutum [1]).

In utraque venditione plurimum licenti bona praedum addicebantur [2]); in utraque venditione meliore condicione praes fuisse videtur [3]), quod eo valuisse putaverim, ut potior esset praes, qui idem quod alius quis liceretur. Si plus quis licitus esset quam quod reipublicae deberetur, id tamen lucro fuisse videtur aerario [4]). Ex bonis illis praedum emptor summam reipublicae promissam solvebat, attamen non semper pecunia praesenti [5]); nam praedes

---

[1]) Lege Malacitana reperta, verba „in vacuum" in loco SUETONII laudato explicari possunt, cum autem lex Mal. tam acute distinguat inter venditionem „lege praediatoria" et illam quae fit „in vacuum," verba „lege praediatoria" in loco laudato admodum difficilia videntur; nam ita accipi nequeunt (ut voluerunt ZIMMERMAN et RIVIER) ut inde appareat quaestionem esse de cessione debiti exigendi non vero de vera venditione; sic enim omnis venditio „in vacuum", quam eandem eiusmodi cessionem esse contendunt, „lege praediatoria" dici posset; id vero lex Malacitana non sinit. Non puto idem significare illa verba hoc loco atque in lege Malacitana, cum bona Imperatoris sane non eodem tempore et „lege praediatoria" et „in vacuum" venierint; locus SUETONII, me judice, difficilis manet et ita fortasse explicandus est: Venibat Claudius in vacuum; cum autem lex praediatoria, quae summatim ad aliam venditionem spectat (unde dicitur „lege praediatoria"), verbo fortasse monuit venditionem in vacuum, recte haec quoque venditio „lege praediatoria" appellatur.

[2]) Cum rerum natura hoc convenire videtur, atque sine justa causa hoc negant ZIMMERMAN in *Op. l.* p. 45 et RIVIER in *Op. l.* p. 118.

[3]) RIVIER in *Op. l.* p. 121, contendit in venditione „in vacuum" praedem liceri non potuisse; CICERO tamen l.l. non scribit: „Ubi illa consuetudo in praedibus vendundis „*lege praediatoria*" ut optima condicione sit is cuia res sit," quod quum non adjecerit, privilegium illud praedi in omni venditione concedendum videtur. Praeterea, si accipiatur conjectura quam proposuit DERNBURG de condicionibus venditioni lege praediatoria additis, et in venditione in vacuum omissis, non intelligo, quidni magistratus, si integram summam respublica consequi non potuisset, accepisset quod praes licebatur in venditione „in vacuum", si plus liceretur quam alii, imo quoque si idem promitteret. Ita quoque vir cl. GOUDSMIT in *Comment. l.* p. 565.

[4]) Vide DERNBURG in Opere: *Pfandr.* I, p. 37.

[5]) Hoc nonnulli interpretes v. g. DERNBURG in Opere: *Pfandrecht* I, p. 87 et RIVIER in *Op. l.* p. 119, significari voluerunt verbis postremis Capitis 64 quae sunt: „dum ita legem dicant, ut pecunia minfore municipii Flavii

emptorum in Capite 65 legis Mal. memorantur; neque tamen, opinor, emptoribus illis licuit solutionem nimis diu differre [1]).

Praedem ipsum sua bona ementem fere semper pecunia praesenti solvisse puto, cum magistratus ei non facile permiserit ut solutionem iterum differret; fortasse haec una erat ex causis, cur praes in venditione bonorum suorum privilegio uteretur.

Praedum praediorumque emptio procul dubio multum lucri emptoribus praebebat. Attamen animadvertendum secundum opinionem quam ZIMMERMAN et RIVIER de venditione ex lege praediatoria tuentur, nullum lucrum emptorem ex hac venditione percipere potuisse, nam integram summam a debitore principali reipublicae debitam *emptorem aerario* rependisse, idem quoque praedem venditum emptori solvisse statuunt. Quamobrem conjecerunt emptores fortasse certas usuras adjectas a praedibus exigere potuisse [2]); qua de re tamen ex fontibus nihil apparet [3]).

Malacitani referatur, luatur, solvatur." Verbum „minfore" quod vitiosum est, variis modis emendare conati sunt: DERNBURG *in Opere: Pfandr.* legit „in pobl." pro „in publicum", cui assentiri videtur RIVIER in *Op. l.* p. 119. Magis tamen placet conjectura quam proposuerunt LABOULAYE in *Opere laud.* p. 47. not. 50 et GIRAUD in *Op. l.* qui legunt „in foro." Ita mihi quoque legendum esse videtur, dummodo ita mutetur, ut legatur „in forum." Ita conjecit conjecturamque adstruxit vir cl. GOUDSMIT in Opusculo: *Eenige opmerkingen over Romeinsch regt.* 's Gravenhage 1865 p. 5. Significatur hac periodo, si ita legatur, magistratui curam mandari ut pecunia publica in aerarium (quod erat in foro) redigeretur. De solutione „pecunia praesenti" hoc loco moneri improbabile videtur.

[1]) Ad hanc quaestionem cf. virum cl. GOUDSMIT in *Comm. laud.* p. 565.

[2]) Vide ZIMMERMAN in *Diss.* p. 51, RIVIER in *Op. l.* p. 125.

[3]) Idem vir cl. GOUDSMIT in *Comment. l.* statuit vide p. 566; quaeritur tamen quid lucri praediator ita ex emptione lege praediatoria percipere potuerit: inde quoque me judice apparet, venditionem lege praediatoria hoc modo recte explicatam non esse; cogitari enim vix potest, nulla spe lucri alliciente, publicanos bona praedum emisse.

Itaque eo pervenit disputatio mea ut, quantum per fontes licuit, de praedum praediorumque venditione dixerim; concedo quidem non omnia quae ad hoc argumentum pertineant explorata esse; saltem hoc contendere licet legem Malacitanam nova quaedam magni momenti prodidisse. Superest ut explicetur:

---

§ 5. Ius quod praediator acquirebat in res emptas.

Praediatores appellantur ii qui praedes praediaque mercabantur, quod quamvis non semper concederetur [1], perspicue tamen factum fuisse GAIUS testatur, dicens: „qui mercatur a populo praediator appellatur [2].” Illos uti publicanos societates iniisse ex lege Malacitana mox apparebit, prius tamen jus praediatoris in res emptas illustrare conabor.

Opiniones virorum doctorum de hoc jure arcte cohaerent cum ratione, qua naturam venditionis explicant, atque vix secus esse potest; itaque hinc jam licet suspicari, in varias partes illorum opiniones in hac quoque re abire.

MOMMSEN [3] putat, si praedia vendita sint lege praediatoria emptorem redigi in condicionem creditoris fiduciarii, cui si praes debitum solveret, rerum suarum dominium recipere potuisse contendit; cui opinioni prorsus assentiri dicit GAIUM, usurecipi scribentem praedium lege praediatoria a populo venditum [4]. Animadvertas tamen ICtum non eius praedii tantum,

---

[1]) Vide v. g. BACHOFEN in Opere: *Pfandrecht* p. 219, contra tamen ex pluribus RIVIER in *Op. l.* p. 103, 104.

[2]) In Libro 2, *Inst.* § 61.

[3]) In Opere: *Stadtrechte* p. 476.

[4]) Vide auct. in Opere: *Stadtrechte* p. 476.

quod lege praediatoria venierit usureceptionem concedere, quod adjiciendum fuisset, si vera esset sententia quam MOMMSEN defendit.

Praediatorem eadém condicione uti ac creditorem fiduciarium ideo virum cl. MOMMSEN statuere puto, quod GAIUS eodem fere loco usureceptionem ex fiducia atque ex praediatura tradat, perinde ac si essent instituta eiusdem naturae, quod tamen ita non esse mox indicare conabor.

Ex venditione in vacuum praediatorem dominium acquirere existimat.

Illi auctores qui venditionem praedum putant esse cessionem juris debiti exigendi, consequens est ut dicant praediatorem jus illud acquirere; qui insuper jus pignoris subsignatione in praedia constitutum putant et inde praediorum venditionem cessionem illius juris pignoris fuisse aiunt, necesse est ut praediatoribus jus illud pignoris in praedia tribuant [1]. Secundum eorum opinionem praediator habet jus debiti exigendi quod reipublicae manceps debeat, secundum nonnullos pignoris quoque ius in praedia. Cum tamen viderent GAIUM praedi contra praediatorem usureceptionem concedere, ZIMMERMAN putans hanc esse speciem usureceptionis ex fiducia, gaudens „se pro duabus rebus absurdis jam unam habere" contendit praediatorem fiduciam vel simile jus omnium praedis bonorum habuisse [2]; similiter RIVIER praediatori dominium fiduciarium tribuit [3]. Prorsus falsa mihi haec disputatio videtur.

Venditionem praedum quidem fuisse dicunt cessionem juris debiti exigendi; perspicuum est, opinor, illa cessione prae-

---

1) Vide RIVIER in *Op. laud.* p. 123.
2) In *Diss. l.* p. 51.
3) In *Op. l.* p. 124.

diatorem tantum acquirere jus illud quod cedatur; praedem igitur dominum rerum suarum mansisse illos dicere oportet; eius res tantum obligatae erant praediatori prout ante venditionem populo. Jam quaero, quando et quomodo praediator dominium illud fiduciarium, de quo loquuntur, acquiret? quando praes dominium rerum suarum amittet? Procul dubio post praedum venditionem et ipsa hac venditione; sed eam fuisse cessionem iuris contenderunt!

Praeterea, si dominium fiduciarium interpretes tribuant praediatori, puto eos quoque illud solito modo constitutum voluisse. Ubi autem docetur, bona praedum mancipata vel in jure cessa fuisse sub pacto fiduciae [1])? In causa fiduciae revera transfertur dominium rei; in praedum venditione jus aliquod cessum fuisse docuerunt.

Addendum est virum cl. GOUDSMIT, qui caeteroquin auctoribus laudatis assentitur, in exponenda natura praedum venditionis, nihilominus denegare praediatori dominium fiduciarium rerum emptarum, neque tamen docet auctor, quid juris acquirat in res illas emptor [2]).

De jure illo recte disputare videntur BACHOFEN [3]) et DERNBURG [4]), qui, hic modo in praedia, ille etiam in cetera praedum bona, jus pignoris constitutum esse dicunt; praediatorem enim jus dominii in rebus emptis acquirere docent; quod plane convenire videtur cum fontibus. Ego quoque venditionem praedum praediorumque tam „lege praediatoria" quam „in vacuum" factam dominium rerum quae

---

1) Vide DERNBURG in Opere: *Pfandr.* I, p. 8–11.
2) Vide auct. in *Comment. l.* p. 566.
3) In Opere: *Pfandr.* p. 220.
4) In Opere: *Pfandr.* 1 p. 35.

venierint transferre puto; fontibus enim hanc opinionem niti contendi.

Ecce GAIUM qui ita scribit [1]): „Item si rem obligatam [2]) sibi populus vendiderit eamque dominus possederit, concessa est usureceptio, sed hoc casu praedium biennio usurecipitur, et hoc est, quod vulgo dicitur: ex praediatura possessionem usurecipi." Ex hoc loco, me judice, apparet dominium acquisivisse praediatorem in bona praedum hac ipsa emptione; caeteroquin enim usureceptione, quae est modus dominii acquirendi, praedi non opus fuisset [3]).

Quum, postquam de usureceptione ex fiducia dixit, ICtus ita usureceptionem ex praediatura tradere incipiat: „*Item* si rem obligatam" caet., ZIMMERMAN [4]) et RIVIER [5]) usureceptionem ex praediatura speciem usureceptionis ex fiducia appellaverunt; quod inde tamen non sequitur; modo usus esse videtur ICtus vocabulo „item", ut significaret etiam hanc speciem usucapionis (uti illam de qua docuit in § priore) usureceptionem vocari [6]).

---

[1]) In *Inst.* Lib. 2 § 61.

[2]) Non video quo jure nonnulli interpretes verba GAII „rem obligatam" ad sola praedia restrinxerint; inde sane effici nequit ICtum tantum de usureceptione praedii scribere; cum enim usureceptionem tradidisset qua res soli periude ac si res mobiles essent anno usucaperentur, necesse erat ut hoc loco, ubi quoque de usureceptione (aliqua) disputaret discrimen ratione habita temporis notaret. De rebus mobilibus quae fortasse hoc casu eodem temporis spatio usucaperentur atque in causa fiduciae, non opus erat ut quidquam adderet ICtus. Cf. tamen RIVIER in *Op. l.* p. 131.

[3]) Perspicuum est GAIUM improprie hoc loco praedem „dominum" dicere; cf. RIVIER in *Op. l.* p. 102.

[4]) In *Diss. l* p. 50.

[5]) In *Op. l.* p. 133.

[6]) Me judice hoc perspicuum fit si conferas § 61 Libri 2. GAII cum § 59 et 60.

Accedebat fortasse quod usureceptio ex praediatura quodammodo est similis usureceptionis ex fiducia [1]), unde tamen non sequitur, res quae usureceptioni ex praediatura subsint, eodem jure ad praediatorem pertinere ac si in causa fiduciae versarentur.

Usureceptionis ex praediatura effectus erat ut praes, si rei praediatoris, quae quondam sua fuisset, possessionem adeptus esset, solito temporis spatio eam usucapere posset.

Ratio autem usureceptionis ex praediatura fuisse videtur, ut jus severum quo uteretur respublica in debitores publicos quodammodo mitigaretur. Itaque ex GAIO patet, praedi post venditionem eius bonorum usureceptionem concedi contra praediatorem; quumque inde sequatur hunc illorum dominium acquisivisse ex illa venditione, necesse videtur ut illorum virorum doctorum opinio (qui illam venditionem cessionem juris debiti exigendi fuisse dicant, venditionem praediorum vero cessionem juris pignoris) falsa esse statuatur. Ex lege venditioni dicta praediatores res emptas in jure persequi possunt. Ita enim in Capite 65 legis Malacitanae legitur: „Quos praedes quaeque praedia quosque cognitores IIviri municipii Flavii Malacitani hac lege vendiderint, de iis quicumque jure dicundo praeerit, ad quem de ea re in jus aditum erit, ita jus dicito judiciaque dato, ut ei qui eos praedes cognitores ea praedia mercati erunt, praedes socii heredesque eorum, iique ad quos ea res pertinebit, de iis rebus agere easque res petere persequi recte possint." Omnes

---

[1]) Vide E. MACHELARD in Opere: *Theorie Générale des Interdits en droit Romain; exposition détaillée des interdits possessoires.* Paris 1864. p. 105, ubi postquam de usureceptione ex fiducia scripsit, ita de usureceptione ex praediatura verba facit: „(Elle) nous montre également un ancien propriétaire recouvrant par la possession une chose qu'il sait ne pas lui appartenir."

actiones igitur, quae institui possunt ex legibus venditioni adjectis, iis IIvirum concedere oportet. Non modo praediatori tamen licet agere de iis rebus easque vindicare sibi, verum etiam eius praedi, socio, heredi iisque omnibus ad quos ea res pertinebit. Heredi illud lege Malacitana permissum fuisse neminem turbavit; quomodo tamen fieri potuerit ut idem praedi et socio eius concederetur, tam facile intelligi nequit. Perperam MOMMSEN Caput 65 legis Mal., de quo dico, explicavit; putat enim hoc loco praedi prospectum esse qui populo satisfecerit, eique regressum dari contra debitorem principalem; eum omnino omnes actiones movere potuisse quas debitor ille principalis haberet [1]). Dubium non est quin praedi contra debitorem principalem regredi concessum fuerit [2]), qualis vero actio ei concessa sit, exploratum non est [3]). Fallitur tamen MOMMSEN putans de hac re statutum esse in Capite 65 legis Malacitanae, nam regressus praedis ne minima quidem ibi est mentio.

Accedamus jam ad quaestionem illam, quomodo fieri potuerit ut habeat praes jus actionis instituendae quod ipsi praediatori tantum competit? Facile id intelligimus statuentes praediatores speciem fuisse publicanorum eosque societates iniisse [4]); perquam facilis autem res et plana est si praedes

---

[1]) Vide auct. in Opere: *Stadtrechte* p. 478 et 479, quem secutus est REIN in *Op. l.* p. 366.

[2]) Recte observat RIVIER in *Op. l.* p. 129 not. 409. cognitoribus qui falsam aestimationem professi ideoque excussi essent nullum datum fuisse regressum.

[3]) Putat RIVIER praedi actionem depensi datam fuisse; vide *Op. l.* p. 129. Non equidem nego, rem ita se habere potuisse; probabile tamen est, cum vectigalia a publicanis redimerentur, praedes qui essent socii mancipis contra eum usos fuisse actione pro socio; eademque compraedes ut damnum inter se aequiparare possent.

[4]) De societatibus publicanorum quae sunt satis notae, multa non dicam;

ipsos socios fuisse ponamus, quod in publicanis usu venisse constat. [1]).

Accedit tamen quoque illa quaestio, quomodo socio praediatoris actio in solidum concedi potuerit, cum sociis jure Romano tantum licuerit singulis suam partem persequi? Mirum non est socium praediatoris ex hac lege eadem condicione uti atque ipsum praediatorem; quod in sociis publicanorum saepius usu veniebat [2]). Negari tamen nequit socios praediatorum a communi natura sociorum deflectere. Quod cum ita sit, ob ipsam hanc causam haec legis clausula (quae pertinet ad socios) necessaria erat; caeteroquin non fuisset. Similiter socio argentario, cui etiam actio in solidum conceditur, speciali sanctione jus illud tribuitur [3]). Neque miretur quis socios praediatorum in hac causa a jure communi sociorum deflectere, cum notum sit societates publicanorum etiam in aliis causis a communi genere sociorum discedere [4]).

Ita recte, opinor, Caput 65 legis Mal. explicatum est, exque ea interpretatione aptam omnino sententiam locus habet.

Jure denique, quod praediator habet circa res praedum sibi venditas, exposito, ad finem perducta est disputatio de cautione

---

tantum hoc; ita instructae erant ut unus vel plures ex sociis negotia societatis curarent; hi a populo redimere solebant, mancipesque appellabantur, quia manu sublata significabant se auctores emptionis esse; ceteri socii sive nonnulli ex iis pro mancipe fidem suam tanquam praedes interponebant; plura de hac re apud REIN in *Op. l.* p. 715, 716.

[1]) Ita recte ZIMMERMAN in *Diss. l.* p. 38, 39 cf. DERNBURG in *Comment. l.* p. 85. Eodem redire videtur sive auctore DERNBURG in *Comm. l.* p. 85 (cf. quoque GOUDSMIT in *Comment. l.* p. 567) „praedes socii" conjunctim legantur, sive MOMMSEN (*Stadtrechte* p. 480) secuti, praedes et socios distinguamus. Cf. RIVIER in *Op. l.* p. 127.

[2]) Vide v. g. leg. 1 pr. D. *de loco publ. fru.* (43.9).

[3]) Vide leg. 27 pr. D. *de pactis* (2.14).

[4]) Vide leg. 59 pr. et 63. § 8. D. *pro socio* (17.2).

praedibus praediisque et de obligatione quae inde oritur. Hic illic quoque indicavi legem Malacitanam multum prodesse ad illam cautionem ejusque effectus recte intelligendos, ita ut ad eam legum Flaviarum partem explicandam accedere liceat qua jus privatum Latinorum in municipiis nostris illustretur.

PARS III.

DE JURE PRIVATO LATINORUM SALPENSANORUM ET MALACITANORUM.

Errant qui putent in lege Salpensana et Malacitana certe in parte superstiti jus privatum Latinorum ab omni parte accurate expositum ac diserte explicatum esse, nam nonnulla tantum jura in legibus sive tanguntur sive exponuntur; vel sic tamen horum scientia etiam brevi commemoratione ita amplificatur ut perdigna sint capita legis ad jus privatum pertinentia quae diligenter explorentur.

Omne jus privatum secundum juris Romani doctores pertinet vel ad personas vel ad res vel ad actiones. Tripartita illa divisio quam et GAIUS [1]) et Imperator JUSTINIANUS [2]) sequuntur, petita est ex diversitate objectorum in quibus juris scientia versatur. Eandem normam in jure Latinorum secundum leges Flavias exponendo sequi juvat, uti res ipsa docet, quatenus argumentum nostrarum legum hoc sinat.

Itaque hanc disputationis partem in duo capita dividere licet, ita ut in priore de jure personarum, tum de actio-

---

1) Vide *Inst.* 1 § 8 et eundem in lege 1, D. *de statu hominum* (1.5.).
2) Vide *Inst.* Lib. 1. Tit. 2 § 12.

nibus disseramus. De juribus Latinorum circa res de quibus leges Flaviae tacent [1]) exponere ab hoc loco alienum est.

Ac primum quidem de personis videamus; haec enim disputatio primum sibi locum vindicat; etenim parum est, uti Imperator JUSTINIANUS animadvertit, ius nosse, si personae quarum causa statutum est ignorentur [2]).

CAPUT I.

DE JURE PERSONARUM.

Personae hoc loco [3]) intelliguntur eodem sensu quo in inscriptione Tituli 3 Inst. Just. memorantur, sc. sensu latiore, ita ut significentur homines qui pro diversitate qua inter se distinguantur diversa quoque in vita civili condicione utantur.

Summa divisio personarum in jure Romano erat, quod omnes homines aut liberi essent aut servi [4]), alia quoque divisio personarum erat recepta, qua quaedam dicebantur sui juris, quaedam alieni juris [5]).

---

1) Obligatio enim praedum praediorum eo referri nequit, cum procul dubio ad jus publicum pertineat.

2) Vide *Inst.* Lib. 1 Tit. 2. § 12 cf. quoque HERMOGENIANUM in lege 2 D. *de statu hominum* (1.5). ubi dicit: „Cum igitur hominum causa omne jus constitutum sit, primo de personarum statu dicemus."

3) Proprie personam in jure significare „hominem juris participem", notissima res est.

4) Vide GAIUM I, § 9. *Inst. Just.* Lib. 1. Tit. 3 pr.; cf. leg. 3. D. *de statu hom.* (1.5).

5) Vide GAIUM I, § 48. *Inst. Just.* Lib. 1. Tit. 8. pr.; cf. leg. 1. pr. D *de his qui sui vel alieni juris sunt.* (1.6).

Secundum has personarum distinctiones generales, ex quibus rursus aliae divisiones nexae sunt, jus personarum quo Latini secundum legem Salpensanam utebantur, exponere in animo est, quoniam nullum non genus personarum, quae divisionibus illis comprehenduntur, in municipiis nostris inveniebatur.

Itaque primo de iis qui sunt liberi aut servi, tum de his qui sunt sui vel alieni juris dicendum erit.

---

§ 1. De iis qui aut liberi sunt aut servi.

Non opus est ut ostendam, ni fallor, tam liberos quam servos Salpensae fuisse. Etenim, ut de servis primo verba faciam, libertate caruisse nonnullos in municipio, dubio obnoxium esse non posset, etiamsi in hac ipsa lege nihil quidquam de hoc argumento cautum fuisset, nam servitus est constitutio juris gentium [1]; sed ex lege Salpensana, ex illa parte nempe quae de *servis* apud IIvirum *manumittendis* agit [2], institutum illud juris gentium Salpensae quoque viguisse, satis apparet.

De servis quorum in condicione nulla est differentia [3], plura non addam; potius de liberis dicam, qui omnes non sunt eiusdem condicionis; hi enim vel ingenui sunt vel libertini [4].

---

[1]) Vide leg. 4 § 1. coll. leg. 5 § 1. D. *de stat. hom.* (1.5.) et *Inst. Just.* Lib. 1. Tit. 3. § 2.

[2]) Vide Caput 28 *legis Salp.* cf. quoque Rubricam.

[3]) Vide leg. 5. pr. D. *de stat. hom.* (1.5). et *Inst. Just.* Lib. 1. Tit. 3 § 5.

[4]) Vide GAIUM, *Inst.* 1. § 10. cf. *Inst. Just.* Lib. 1. Tit. 3 § 5. cf. *Fragmenta* DOSITHEI § 4 (5.)

Ingenui in jure Romano dicuntur, qui liberi nati sunt [1]; libertini vero qui ex justa servitute manumissi sunt [2]. De ingenuis, ad quos non pertinent praecepta legis Salpensanae, non dicam; libertinorum statum ac condicionem quae in lege describitur exponam.

Libertinos cum faciat manumissio, de ipsa hac manumissione videamus. Erat datio libertatis [3] et variis modis jure Romano peragebatur, vel sollemniter, puta: vindicta, censu, testamento [4], vel minus sollemniter, puta: inter amicos et per epistolam [5].

Legem Salpensanam quoque indicare arbitror apud Latinos variis modis manumissionem peragi potuisse; in Capite enim 28 in hunc modum cautum est: „Si quis municeps municipi Flavi Salpensani, qui Latinus erit, apud IIviros, qui juri dicundo praeerunt ejus municipii, servum suum servamve suam ex servitute in libertatem manumiserit liberum liberamve esse jusserit, dumne quis pupillus neve quae virgo mulierve sine tutore auctore quem quamve manumittat liberum liberamve esse jubeat: qui ita manumissus, liberve esse jussus erit, liber esto, quaeque ita manumissa liberave esse jussa erit libera esto, ut qui optimo jure latini libertini liberi sunt erunt,

---

[1]) Vide GAIUM, *Inst.* 1 § 11. cf. *Inst. Just.* Lib. 1. Tit 4. pr. et leg. 5 § 2. D. *de statu hom.* (1.5).

[2]) Vide GAIUM, l.l. et in lege 6 D. *de stat. hom.* (1.5). cf. *Inst. Just.* Lib. 1. Tit. 5 pr. Quae servitus injusta habeatur, apparet ex lege 19 § 2 et 21 § 1. D. *de capt. et postl. rev.* (49.15).

[3]) Vide ULPIANUM in lege 4 D. *de Just. et Jur.* (1.1). et *Inst. Just.* Lib. 1. Tit. 5 pr.

[4]) Vide ULPIANUM, *Reg.* Tit. 1. § 6—10. cf. GAIUM, *Inst.* 1. 17. Paulatim manumissio censu obsolevit et accessit manumissio in ecclesia, vide *Inst. Just.* Lib. 1. Tit. 5. § 1 et leg. 1 et 2 Cod. *de his qui in eccles. manum.* (1.13).

[5]) Vide ULPIANUM, *Reg.* Tit. 1. § 10—18. et GAIUM 1 § 41, 44; cf. *Inst. Just.* Lib. 1. Tit. 5 § 1.

dum is qui minor 20 annorum erit ita manumittat, si causam manumittendi justam esse is numerus decurionum per quam decreta hac lege facta rata sunt censuerit." Animadverto ubique in hoc Capite, postrema periodo excepta, ubi de libertatis datione agitur, duo vocabula usurpari, sc.: „manumittere" et „liberum esse jubere." Sunt sane qui contendant [1]) utrumque illud verbum ad eandem manumissionis formam, ad manumissionem vindicta, respicere. Vix recte opinor; nam si attendas ad diversam, qua utantur haec vocabula in jure Romano, significationem, ubi voce „manumittere" manumissio vindicta indicatur, vocabulis vero „liberum esse jubere" manumissio per testamentum [2]), mirum esse nequit eadem illa verba in lege quoque Salpensana diverso sensu accipienda esse. Sed ne quis dubitare possit sensu diverso quin accipienda sint illa verba, facit clausula Capitis, ubi duo illa verba non inveniuntur sed tantum vox „manumittere," cum in reliqua Capitis parte ubique illa jungantur. Quod si teneas ibi sermonem esse de minore 20 annorum, cui jure Romano tantum una ratione, sc. vindicta manumittere licuerit [3]), causa probata ex

---

[1]) Vide DERNBURG in *Comment. laud.* p. 89, 90.

[2]) Vide GAIUM, *Inst.* Lib. 2 § 267. et *Inst. Just.* Lib. 2. Tit. 24. § 2. et ULPIANUM *Reg.* Tit. 2 § 7. cf. quoque leges 9 pr., 10 pr. § 1, 17 § 3. et 19 D. *de manum. testam.* (40.4).

[3]) GAIUS sane docet (*Inst.* Lib. 1. § 41.) minorem 20 annorum etiam inter amicos manumittere posse, modo causa probata sit apud consilium; quod tamen non infringit disputationem meam; nam nisi vindicta manumitterent domini minores 20 annorum, (vide GAIUM I, 40) eiusdem condicionis liberti non fiebant qua manumittentes fuissent; si autem deterioris condicionis libertos facere vellent domini, etiam inter amicos causa a consilio probata manumittere poterant; vide GAIUM *Inst.* Lib. 1 § 41. cf. quoque ULPIANUM *Reg.* Tit. 1. § 6—10. et DOSITHEI *Fragmenta* § 13 (15) et 14 (16); hoc tamen ad causam legis Salpensanae adaptari nequit, cum liberti quippe qui optimo jure latini fierent procul dubio ex manumissione secundum Caput 28 eandem condicionem acceperint qua domini uterentur.

lege Aelia Sentia; deinde voce „manumittere" in lege Salpensana manumissionem per vindictam indicari, nemo, opinor, casu fortuito, veluti vitio sculptoris, verba „liberum esse jubere" hoc loco omissa esse contendet. Imo consulto non adjecta esse puto, quia, uti jure Romano invaluit, eodem modo Latini quoque minores 20 annorum tantum una ratione manumittere potuisse videantur.

Itaque si diversae manumissionis formae verbis illis „manumittere" et „liberum esse jubere" indicantur, videamus quae?

Verbo jam monui „manumittere" eum dici qui manumittat vindicta, qua servi liberandi ratione Latini procul dubio uti potuerunt, quippe qui commercio gauderent; „liberum esse jubere" eadem sententia in lege Salpensana accipi nequit qua in jure Romano; in Capite enim 28 huius legis tantum sermo est de servis *apud magistratum* manumittendis [1]), quo fit ut ad manu-

---

[1]) Vide Rubricam Capitis. Hoc placitum legis Salpensanae vir cons. ASHER ferre non potuit. Dicit in *Comment. laud.* p. 121. no. 3. „L'auteur des Tables imagine que comme la manumission civile la plus usitée, celle per vindictam, la manumission des affranchis latins exige l'intervention des magistrats. Mais nous savons aujourdhui, par les fragments de Dosithée que la loi Junia Norbana, qui régla dans le commencement du règne de Tibère, la condition des affranchis latins, n'exige pour la manumission que la volonté du maître sans prescire aucune formalité," et provocat auctor ad fragmenta DOSITHEI § 7 (9.) Haec observatio, ni fallor, gravissimo errore nititur, a quo auctor in aliis quoque commentationis partibus sese liberare non potuerit: disputat enim de manumissione legis Salpensanae *perinde ac si civis Romanus modo minus solemni manumittere neque libertum suae ipsius condicionis fieri voluisset;* tum enim, uti recte DOSITHEUS monuit, secundum legem Juniam non opus est ut magistratus in manumissione partes suas interponat. Prorsus tamen differt causa legis Salpensanae; in Capite enim 28 *Latinus manumittit eo consilio ut eiusdem condicionis fiat libertus qua ipse fuerit;* procul dubio igitur, si similitudinem juris Romani huc trahere liceat, manimittit sollemniter. Itaque ex Capite 28 legis Salp. effici nequit, legis auctorem ignorasse legem Juniam, quod eius placitum laudatum prorsus alienum est a causa legis Salpensanae.

Cum dissertationis partem superiorem jam absolvissem, mihi innotuit com-

missionem per testamentum respici non potuerit; propter eandem causam de declaratione a domino privatim facta, velle se ut servus liber sit, verba, „liberum esse jubere" hoc loco intelligi nequeunt. Eum non multum a vero aberraturum puto, qui hac voce in lege Salpensana significatam esse dicat declarationem apud magistratum.

Manumissio haec per declarationem, ut ita dicam, satis fortasse erat simplex; illa vero quae vindicta fiebat, peragebatur multis sollemnibus in jure Romano. Paucis eam in mentem revocare liceat.

Cum servus ipse sit res vindicanda, alius quis (qui vocatur assertor libertatis; plerumque erat lictor) servum vindicabat; loco solitae formulae vindicationis [1]), is qui vindicabat, festuca caput servi tangens: „Hunc hominem", ait, „ex jure Quiritium liberum esse ajo; secundum suam causam sicut dixi, ecce tibi vindictam imposui", quo facto, pro solita vindicatione, in hac causa sequebatur manumissio; servum enim manu tenens, dominus haec verba pronuntiabat: „Hunc hominem liberum esse volo". Declaratione a magistratu interposita, „liberum esse servum," negotium peractum erat [2]). Paucis mutatis eadem manumissionis forma Salpensae obtinuisse videtur.

Iam intelligimus quomodo manumissio in municipiis

---

mentatio viri cl. GIRAUD quae prodiit in diario: *Revue historique de Droit Français et Etranger* 4ieme livraison. Juillet-Août 1866. Inscribitur illa: „La lex Malacitana;" tangit auctor quoque disputationem viri cons. ASHER; in parte sequenti diarii plura se datarum promittit. Sufficiat hoc loco addere, auctorem in opinione sua de authentia tabularum jam ante enunciatata prorsus perseverare.

1) Vide GAIUM *Inst.* Lib. 4. § 16 ubi describit quomodo in lite agatur; hic autem est actus jurisdictionis voluntariae.

2) Fusius de manumissione vindicta egit REIN, in *Op. laud.* p. 570—574.

Latinis peragatur, in lege Salpensana tamen plura occurrunt quae notasse operae pretium est.

Explorandum superest, qui manumittere hac ratione non possint, et quo jure sint libertini, ratione quoque habita manumittentium.

Supra jam animadverti incolas prorsus prohiberi, quominus apud IIviros manumittant, aliae vero personae in lege Salpensana memorantur quae, etsi omnino non prohibeantur, tamen suo Marte manumittere non possunt.

Non licet enim mulieri [1]) vel pupillo sine tutore auctore; non licet minori 20 annorum nisi causa ab ordine municipali probata.

In eadem causa tutoris auctoritate indigebant pupilli jure

---

[1]) Ut obiter animadvertam quod postea fusius explicabitur, tutelam sexus Salpensae juris fuisse tempore DOMITIANI, ex hoc Capite apparet. Ad verba tamen quae hoc docent: „dumne quae virgo mulier sine tutore auctore manumittat", vir cons. ASHER duo notavit; p. 123 *Comment.* enim dixit: „Si ce que ce passage affirme était vrai, nous aurions ici une loi du temps de Domitien qui donnerait en Espagne de nouvelles forces à une institution déjà presque complétement émoussée á Rome cent cinquante ans auparavant," et paulo post: „C'est cependant là (magis severam esse tutelam quae memoretur in lege Salp. quam eam quae in jure Romano invaluerit) ce que prétend le passage de la Table de Salpensa; car à Rome où au temps de l'empire la tutelle des femmes n'était presque qu'une vaine formalité, l'autorité du tuteur n'était requise que pour les actes énumérés par Ulpien 11: 27. La manumission de la loi Junia n'appartient à aucun de ces actes qui sont tous de l'ancien jus civile."

1°. Concedo Caesarum tempore tutelam sexus dicis gratia tantum adhibitam esse; neque tamen hoc obstat, quominus eo ipso tempore mulierum tutela *quae antiquitus fortasse Salpensae viguit*, lege confirmaretur. Romani respicere solebant ad jus cuiuscunque civitatis; vide leg. 5 § 1. D. *de jure imm.* (50.6).

2°. Auctorem fugit Caput 28 legis Salp. spectare ad Latinos, neque reputavit in omnibus jus Latinorum juri Romano assimulatum non fuisse.

3°. De manumissione legis Juniae prorsus sermo esse nequit hoc loco.

Romano [1]); ratio eiusmodi placiti in promptu est, „placuit enim meliorem quidem suam condicionem licere pupillis facere etiam sine tutoris auctoritate, deteriorem vero non nisi tutore auctore" [2]).

Hinc, licet sibi obligare possit pupillus [3]), ipse alii obligari nequit nisi tutore auctore [4]); eandem ob causam alienare non licet pupillo sine auctoritate tutoris, cumque manumissio revera sit alienatio, manumittere quoque suo Marte non potest [5]).

Mulieres in iisdem fere causis tutoris auctoritate indigebant [6]).

Attamen non sufficit pupillo quod tutor auctoritate sua manumissionem permittat, etenim omnibus qui minores sunt 20 annorum causae probatione opus est, quae ex lege Salpensana ordini municipali, in jure Romano consilio ex lege Aelia Sentia mandatur [7]).

Quod ad aetatem illam 20 annorum attinet, coeptum an-

---

1) Vide ULPIANUM, *Reg.* 1—17. et leg. 24 D. *de manum. vind.* (40.2) et leg 9. § 1 D. *de auctor. tut.* (26.8).

2) Vide *Inst. Just.* Lib. 1. Tit. 21 pr. et GAIUM, *Inst.* Lib. 2. § 83. Exempla inveniuntur in lege 13 § 1 D. *de condict. indeb.* (12.6), et apud GAIUM *Inst.* Lib. 3. § 171.

3) Vide GAIUM, *Inst.* Lib. 3. § 107. *Inst. Just.* Lib. 3. Tit. 19 § 9; cf. leg. 9 pr. D. *de auct. tut.* (26.8).

4) Vide locos not. 3. citatos.

5) Cf. eandem legem 9 pr. § 1. D. *de auct. tut.* (26.8) saepius citatam, vide quoque *Inst. Just.* Lib. 2 Tit. 8 § 2.

6) Vide GAIUM, *Inst.* Lib. 3 § 108; cf. Lib. 2 § 80-86, ULPIANUM, *Reg.* Tit. 11 § 27 et DOSITHEI *fragm.* § 15(17.)

7) Vide leg. 9 § 1. D. *de auct. tut.* (26.8); cf. GAIUM *Inst.* Lib. 1 § 38. De consilio illo legis Aeliae Sentiae, de causis quae justae habebantur, caet., jam disputavi, ubi ministerium ordinis municipalis in causa manumissionis exposui; vide supra *Diss.* p. 81, 82.

num vicesimum jure Romano pro completo haberi constat [1]). Idem sane apud Latinos juris fuisse conjicere licet.

Ratio legis Aeliae Sentiae quae fuerit (idem ad legem Salpensanam spectare videtur) recte indicat vir cons. ZUBLI [2]), qui ita cautum fuisse putat: „ne servi dominorum levitate abusi libertatem adipiscerentur; minores enim," addit, „viginti annorum domini facile decipiebantur et servorum blanditiis obsecundabant."

Haec tantum ad manumittentes respiciunt; quid autem de jure eorum qui manumissi sunt statuendum? Respondet lex Salpensana, eos tam liberos fieri „ut qui optimo jure latini libertini essent." Explicatione non indigent illa verba; cum enim uterentur manumissi optimo jure Latinorum, procul dubio gavisuri erant jure Latinorum coloniariorum [3]), cumque vulgo eiusdem condicionis sint manumissi atque ii qui libertate donabant [4]), Salpensanos jure Latinorum coloniariorum usos fuisse inde sequitur.

Contra verba illa Capitis 28 „qui optimo jure latini libertini sunt erunt", quamvis satis perspicua videantur, vir cons. ASHER tamen multa molitus est.

1°. Animadvertit auctor [5]): „les mots prouvent également [6])

---

1) Vide ULPIANUM in lege 1. D. *de manumiss.* (40.1).

2) In *Diss.* supra *laud.* p. 70.

3) Deterius enim erat jus quo utebantur Latini Juniani; nam licet commercium habere dicantur, tamen neque testamentum facere poterant (vide ULPIANUM, *Reg.* Tit. 20 § 14) neque hereditatem capere directo (vide ULPIANUM, *Reg.* Tit. 22. § 3; cf. GAIUM, *Inst.* Lib. 2. § 110) neque tutores dari testamento; (vide GAIUM, *Inst.* Lib. 1 § 23.) cf. omnino de jure horum Latinorum. v. VANGEROW, *Ueber die Latini Juniani*, p. 109—122.

4) iVde GAIUM *Inst.* Lib. 1 § 17. cf. ULPIANUM *Reg.* Tit. 1 § 12, ubi contrarii quoque exempla recensentur. Cf. etiam GAIUM, *Inst.* Lib. 1 § 29.

5) In *Comment. laud.* p. 121.

6) Vide supra *Diss.* p. 201 not. 1.

que l'auteur des Tables ne connaissait ni la loi Junia elle même, ni les légistes Romains qui nous en ont révélé les dispositions."

2°. Ita pergit: „Il faut observer que la table de Salpensa qui se présente comme une loi impériale doit avoir les notions romaines pour base. Or la loi Junia qui s'adresse à la juridiction provinciale comme à la juridiction urbaine n'admet qu'un seul genre de latinité, celui qui imite la condition des citoyens romains émigrés dans les colonies latines: Quia lex (Junia) eos liberos perinde esse voluit atque si essent cives ingenui qui ex urbe Roma in latinas colonias deducti latini coloniarii esse coeperunt (Gaius 3, 56)."

3°. Postremo loco auctorem offendit vox „erunt" quae in periodo laudata legitur. Ita enim loquitur: „Dans les traités commerciaux d'aujourdhui, on inscrit parfois des clauses qui garantissent, outre les avantages spécifiés dans les traités, tous les privilèges qui pourraient dans l'avenir être accordés aux nations les plus favorisées. Dans une loi romaine, une pareille clause serait monstrueuse. Notre auteur ne craint cependant pas de gratifier les affranchis latins de Salpensa non seulement de tous les droits dont jouissent déjà les affranchis latins les plus favorisés, mais aussi d'avance de tous les privilèges dont les affranchis latins les plus favorisés pourraient être doués plus tard."

Sunt tamen in hac disputatione quae reprehendenda videantur.

Ad Ium. Prorsus contrarium, me iudice, apparet ex legis verbis; etenim indicant auctorem respexisse ad diversa juris Latini genera; huius varietatis vero lex Junia auctor fuit.

Ad IIum. Nego Latinos lege Junia creatos hac ipsa lege aequiparatos esse Latinis coloniariis; nego quoque GAIUM hoc voluisse.

Quid enim lex Junia illa sanxit?

Manumissiones jure Romano sollemnes erant aut minus sollemnes. Qui sollemniter i. e. vindicta, censu, testamento, manumissi erant, libertatem et civitatem Romanam consequebantur; qui minus sollemniter manumittebantur, v. g. inter amicos, — facto quidem libertatem consecuti videbantur; sed jure servi manebant, vel adeo ut postea si justam libertatem et jura civium consequerentur, per legitimam manumittendi rationem meram voluntatis declarationem dominus confirmaret necesse esset: hinc dicebantur morari in libertate [1]. Incertam illorum conditionem sustulit lex Junia, eaque qui manumissi erant minus sollemniter *pro parte* aequiparavit Latinis coloniariis, sc. in causa libertatis; GAIUS quoque tantum indicare voluit Latinos lege Junia creatos aeque liberos fuisse ac Latinos qui coloniarii dicerentur; ipse ICtus aliis locis [2]) discrimen inter Latinos illos notavit. Praeterea supra jam animadverti legis Juniae praecepta aliena esse a manumittendi causa quae in lege Salpensana agatur; quamvis re vera legis auctor respexerit ad jus Latii lege Junia introductum.

Ad IIIum. Ni fallor, periodus ita explicanda non est; simpliciter hoc significant illa verba, eos qui Salpensae manumittantur eo jure futuros esse quo sint vel futuri sint, qui optimo jure latinorum i. e. qui Latinitate coloniaria utantur.

Dubiis auctoris, ut videtur, sublatis, jam monendum videtur hoc loco, manumissione servos quoque municipes fieri municipii Salpensani, quia vulgo liberti originem patronorum sequantur [3]).

---

1) Cf. DOSITHEI *fragm.* § 4, 5 et 6.

2) Vide *Diss.* p 205 not. 3.

3) Cf. leg. 7; 17. § 8; 22. § 2.; 27 pr., 37. § 1 D. *ad mun.* (50.1.); addatur lex 3 § 8. D. *de mun. et hon.* (50.4).

Erga pristinos dominos condicio libertorum latinorum in municipio Salpensano similis est ei qua quoque in jure Romano hi utebantur.

Inter dominos enim et servos post manumissionem vinculum patronatus intercedere coepit, quo Latino quoque jure dominos manumittentes usos fuisse lege Salpensana docemur. In Capite enim 23 legis ita cautum est: „Qui quaeve hac lege exve edicto imperatoris Caesaris VESPASIANI Augusti imperatorisve TITI Caesaris VESPASIANI Augusti aut imperatoris Caesaris DOMITIANI Augusti civitatem consecutus consecuta erit [1]), is in libertos libertasve [2]) suos suas paternos paternas

---

[1]) Animadvertas futurum „erit" hoc loco usurpari, neque scriptum esse in lege „est erit"; inde enim apparet iis qui *post* hanc legem ex edictis civitatem consecuturi essent, secundum Caput 22 jura potestatis manus et mancipii, secundum Caput 23 jura patronatus salva futura fuisse; non item iis qui jam *ante* legem ex illis eam consecuti essent. Nam his, uti voluit RUDORFF in *Disp. Crit.* p. 23, salva jam fuerint illa jura ex ipsis edictis plane ignotum est.

ZUMPT, ut hoc addam, futurum illud „erit" argumentum esse voluit contra eos qui Malacam Salpensamque Latini juris fuisse contenderunt. In Opere: *Stud. Rom.* p. 309, ita disputat: „Rursus autem ii qui cum Salpensam Malacamque jure Latino fuisse censeant, hoc jus ab VESPASIANO impertitum, ab DOMITIANO autem nescio quid adjectum esse existimant, verbis legis refelluntur. Nam si Salpensani ante annum 77 p. Chr. ab VESPASIANO Latinitatem accepissent et statim multi cives Romani facti essent et certe quotannis, qui honores municipales gesserant, civitatem consequebantur. Mutatio igitur civitatis acciderat in Salpensanis, acciderat capitis deminutio, patriae potestatis iurisque libertorum amissio. Jam igitur cum rubr. 22 et 23 praecipiatur ut civitate Romana consequenda patria potestas ne solvatur, jus libertorum ne amittatur, si ea jam ante accidissent, nonne sic scribi oportuit, ut ii qui ante DOMITIANI edictum civitatem Romanam acceperant comprehenderentur neque summa in simillima causa inaequalitas admitteretur?" Negando respondendum videtur quia vulgo leges non habent vim in praeteritum; inde igitur non apparet a VESPASIANO Salpensanos non accepisse jus Latii. In eandem tamen difficultatem quam invenire sibi visus est, revera ipse ZUMPT incidit contendens (p. 321. *Op. l.*) edicto DOMITIANI Salpensanos civitatem Romanam adeptos esse jam ante legem nostram; etenim neque ad eos spectant placita quae Cap. 22 et 23 legis Salp. continentur.

[2]) Recte hoc loco ubi de jure patroni erga manumissum agitur, manumissi dicuntur liberti, quum, in aliis legis partibus v. g. in Cap. 28 *libertini*

qui quae in civitatem Romanam non venerit deque bonis eorum earum et iis quae libertatis causa imposita sunt, idem jus eademque condicio esto quae esset si civitate mutatus mutata non esset." Ubinam clarius exponi potuisset Latinos Salpensanos jus patronatus habuisse? Nonne enim hoc placitum eo tantum tendit ut jura patronatus *retinere* sive *conservare* possent [1]) qui civitatem Romanam adepti essent, quae cum Latini essent iam habuissent?

Illa jura eos retinere scribit lex Salpensana in libertos qui in civitatem non venerint. Necesse autem erat ut ita caveretur; jura enim in libertos, quae jure Romano capitis deminutione pereunt [2]), procul dubio nisi hac legis fictione adjuti essent, etiam Latini, quorum status esset mutatus [3]) amisissent; ratio enim non patiebatur ut liberti, Latini hominis bona jure manumissionis pertinerent ad cives Romanos patronos [4]).

Iis quae hoc Capite exposita sunt nonnulla dubia opposuit vir cons. ASHER [5]), ita enim disputat: „Nous avons déjà eu l'occasion de noter que l'auteur des tables confond la civitas romana des anciens magistrats Salpésiens avec la civitas des

dicuntur. *Hoc* nomine enim vocantur habita ratione conditionis suae, *illo* vero habita ratione patroni pristini domini; vide ULPIANUM in lege 6. D. *si ingenuus esse dicetur* (40.14).

[1]) Vide *Rubricam* Capitis 23.

[2]) Vid GAIUM, *Inst.* Lib. 3. § 83. cf. § 51. et ULP. *Reg.* Tit. 27. § 5.

[3]) Mirum fortasse cuipiam videatur capite minui Latinum qui civitate Romana augeatur, attamen tenendum. capitis deminutionem in jure Romano esse status civilis permutationem, sive prioris status commutationem (vide *Inst. Just.* Lib. 1. Tit 16 pr.), non semper, licet vox „deminutio" indicare videri possit „in deterius." v. g. in iis qui sui juris fiunt emancipatione; vide leg. 3 § 1. D. *de capite minutis* (4.5) et *Inst. Just.* Lib. 1. Tit. 16 § 3. vel qui ex mancipatione manumittuntur; vide GAIUM, *Inst.* Lib. 1. § 162.

[4]) Perperam de hac causa egit DERNBURG in *Comment. l.* p. 88. cf. RUDORFF in *Disp. Crit.* p. 27.

[5]) In *Comment, laud.* p. 119. 5.1.

habitants de Rome [1]). A cette erreur, il ajoute ici celle de confondre les principes du droit privé des provinces qui est basé sur la jurisdiction avec ceux du jus civile de Rome".

Auctor ita scribit perinde ac si jus privatum omnium provincialium idem fuerit; neque tamen ita fuisse puto; cives sane Romani in provinciis eodem jure privato non utuntur quo Latini et peregrini; fallitur auctor quoque contendens jus privatum provincialibus emanare ex praesidis jurisdictione; cives enim Romani procul dubio in provinciis aeque ac Romae legibus subjecti erant sc. iis quae provinciis latae essent v. g. legi Juliae et Titiae [2]) et Juniae Norbanae [3]). Praeterea ad eos spectat edictum provinciale, uti ad cives qui Romae erant edictum praetoris urbani; itaque eorum condicio ratione habita fontium juris privati Romae et in provinciis non differebat.

Quod attinet ad Salpensanos qui Latini erant animadvertit auctor: „Les jura libertorum des Salpésiens avaient comme tout le droit privé des provinces leur source dans l'édit provincial appliqué à Salpensa par les IIvirs. A cette jurisdiction n'étaient pas soustraites les personnes qui avaient obtenu la civitas Romana"; atque inde auctor concludit: „La civitas ne pouvait donc leur faire perdre les avantages que la jurisdiction des IIvirs leur garantissait auparavant [4]). Ainsi les dangers contre lesquels se dirige le cha-

---

[1]) Ad ea auctor respicit, opinor, quae ad verba Capitis 22 „civitate mutatus mutata" notavit; haec vero suo loco refutabo; vide *Diss.* p. 214 not. 2.

[2]) Vide *Inst. Just.* Lib. 1 Tit. 20 pr. § 4 cf. GAIUM *Inst.* 1 § 185.

[3]) Vide *Fragmenta* DOSITHEI § 8.

[4]) Putare videtur auctor IIviros jus dicere ex edicto praesidis. Assentiri non possum; IIviri enim Salpensae jurisdictione voluntaria utuntur sine ullo praesidis interventu; in jurisdictione contentiosa IIviri et praesides singuli suas partes separatas habent.

pitre 23 n'ont aucun fondement réel et n'existent que dans l'imagination de notre faussaire."

Nego jus privatum Latinorum in provinciis ex edicto provinciali derivari.

Quid autem erat edictum illud praesidis provinciae? Uti Romae praetores urbani quum magistratum inibant, edicebant quae observaturi essent in jure dicendo [1]), ita provinciae quoque praesides edictum proponebant, quo designarent normam qua usuri essent in jurisdictione contentiosa atque lites essent diremturi. Re vera Salpensani supra certam summam jurisdictioni ex edicto illo subsunt uti omnes provinciales; neque tamen jus privatum eorum quippe qui jus Latii habeant nititur illo edicto; Latini vero jus privatum sibi proprium habebant; quae cum ita sint, quod auctor fundamento illi superstruit, ipsum quoque concidit.

Itaque legis Salpensanae placita explicare pergamus.

Diserte statutum est hac lege quale fuerit jus illud patronatus jure Latinorum; habent enim patroni jus in libertos i. e. in personas libertorum; habent quoque jus quoddam in bona; libertatis causa etiam exigere poterant operas nonnullas quae jure a libertis debebantur.

Summatim igitur idem fere erat jus patronatus Salpensae quod jure Romano invaluit.

Quantum enim ad jus in personam attinet libertus civis Romanus multis omnino officiis patrono erat obstrictus, reverentiamque ei et obsequium debebat; longum tamen est singula libertorum erga patronos officia enumerare [2]).

---

1) Vide CICERONEM *de fin.* 2.22.

2) Vide leg. 1, 5 pr., 19. D. *de jure patron.* (37.14.) et leg. 2, 5 § 1, 7 § 4, D. *de obseq. par. et patr.* (37.15). addantur leg. 1, 4. et 8 COD. *de*

Jus in bona liberti civis Romani jam lege XII Tabularum quodammodo erat statutum; cautum enim erat ut ad hereditatem patronus vocaretur si libertus intestatus mortuus esset, nullo relicto suo herede;[1]) postea successio illa legitima extendebatur [2]), deinde JUSTINIANUS nova quaedam praecepta de hac causa dedit [3]).

Quod autem fuerit jus in bona libertorum Latinorum, quo usi sint ex lege Salpensana patroni cives facti, cum lege non statutum sit, conjicere liceat idem fere fuisse quo gauderent cives Romani in bona libertorum Latinorum ex lege Junia, qua bona eorum perinde ac si lex lata non esset peculii jure ad patronos pertinerent [4]).

Operae libertatis causa impositae quarum mentio est in nostra lege, in legibus Romanis quoque memorantur [5]). Romani operas [6]) a libertis stipulabantur; liberti officii praestationem promittebant [7]), adjecto saepius jurejurando [8]).

---

obseq. patr. (6.6). Omnia fere officia libertorum erga patronos comprehenduntur lege 9. D. *de obseq. par.* (37.15), ubi ULPIANUS dicit: „Liberto et filio semper honesta et sancta persona patris ac patroni videri debet."

1) Vide ULPIANUM, *Reg.* Tit 19 § 1 et GAIUM *Inst.* Lib. 3 § 40 et *Inst. Just.* Lib. 3. Tit. 7 pr.

2) Vide GAIUM, *Inst.* Lib. 3 § 40—55.

3) Vide *Inst. Just.* Lib. 3. Tit 7. § 3 et 4. cf. leg. 4 COD. JUST. *de bonis lib.* (6.4.)

4) Vide GAIUM, *Inst.* Lib. 3 § 55 sqq. imprimis § 56.

5) Vide leg. 20 D. *de jur. patr.* (37.14), leg. 10. D. *de obseq. par. et patr* (37.15). et leg. 2. D. *de operis libert.* (38.1).

6) Non tamen quascunque vellent petere licebat; cf. v. g. l. 38 pr. D. *de op. lib.* (38.1.)

7) Stipulatio et promissio saepius in Digestis memorantur; vide l. 3 pr. 4, 5, 7 pr. § 1; 8, 12, 15 § 1, 39 pr. D. *de op. lib.* (38.1).

Operas quas non promiserat libertus non debebat; vide leg. 31 D. *de op. lib.* (38.1). cf. GAIUM *Inst.* Lib. 3 § 83.

8) Vide leg. 7. pr. § 1—4. D. *de oper. libert.* (38.1).

Vir cons. ASHER, [1]) miratur in lege Salpensana cautum esse de operis libertatis causa impositis et addit: „Nous possédons aujourd'hui beaucoup de renseignements sur les affranchissements incomplets et nulle part on ne rencontre de trace de libertatis causa imposita dus par les affranchis qui n'étaient pas citoyens romains." In eundem errorem incidit auctor hoc loco quem supra[2]) notavi; putat enim sermonem esse in lege Salpensana de manumissione minus sollemni a cive Romano facta; prorsus claudicare hanc opinionem satis, opinor, supra jam demonstravi.

Itaque de jure tam manumittentium quam libertorum satis disputatum videtur, itaque ad aliam quam supra notavi divisionem personarum transire liceat.

---

§ 2. De iis qui sunt sui juris vel alieni juris.

Distinctio illa personarum, quae jure Romano obtinet[3]), si ad argumentum legis Salpensanae spectemus maximi quoque est momenti; etenim haec lex exempla exhibet variorum modorum quibus quis sui juris vel alieni juris esse possit.

Videamus autem GAIO auctore, primo de his qui alieno juri subjecti sunt, nam si cognoverimus, quae istae personae sint, simul intelligemus, quae sui juris sint. Jam animadverti non omnes *eadem ratione* alieno juri subjectos fuisse secundum legem Salpensanam; uti enim, jure Romano, ex iis personis quae alieni juris sunt, aliae in potestate sunt, aliae

---

[1]) *In Comment. laud.* p. 120.2.

[2]) Vide *Diss.* p. 201 not. 1.

[3]) Vide GAIUM, *Inst.* Lib. 1. § 48. et leg. 1 pr. D. *de his qui sui cet.* (1.6.) add. *Inst. Just.* Lib. 1. Tit. 8 pr.

in manu, aliae in mancipio [1]), prorsus eadem harum personarum divisio jure Latino obtinet. Ita enim in Capite 22 legis Salpensanae legitur: „Qui quaeve ex hac lege exve edicto imperatoris Caesaris Augusti VESPASIANI imperatorisve TITI Caesaris Augusti aut imperatoris Caesaris Augusti DOMITIANI patris patriae civitatem Romanam consecutus consecuta erit [2]), is ea in ejus, qui civis Romanus hac lege factus erit, potestate, manu, mancipio, cuius esse deberet, si civitate [3]),

---

[1]) Vide GAIUM, *Inst.* Lib. 1 § 49. Jure Justinianeo institutis manus et mancipii obsoletis, personae alieno juri subjectae omnes erant in potestate sive dominorum sive parentum; vide *Inst. Just.* Lib. 1 Tit. 8 pr.

[2]) Prorsus idem ad hunc locum quoque referatur quod supra ad caput 23 legis Salp. notavi; vide *Diss.* p. 208 not. 1.

[3]) Auctore MOMMSEN vocem „Romana" quae est in lege supprimo, quippe quae salva Latinitate idoneum sensum non praebeat. Vide *Stadtrechte* p. 401 not. 27 in fine. DIRCKSEN vero, quem vide in *Comment. laud.* p. 692 not. 48, vocabulum „Romana" retinere voluit additumque esse putavit ne de civitate Latina cogitaretur. ZUMPT quoque legit „si civitate Romana cet," cum sermone Latino optime dici possit „mutari, quod, alia re data, accipimus." (Vide eum in Opere: *Stud. Rom.* p. 298). Animadverto tamen, hoc loco non mutari quod accipiatur, sc. civitas Romana, sed mutatur qui civis factus est sc. Latinitate; atqui qui civis Romanus fit, latino sermone non dicitur mutari civitate Romana. RUDORFF quoque idem legit ac ZUMPT; (vide *Disp. Criticam* p. 26); putat ita rem expediendam esse ac si ante periodum „si civitate (Romana) mutatus mutata non esset" verba legerentur ex proxime sequenti periodo: „si a cive Romano ortus orta neque" cet. Nullo jure tamen illa verba transponere videtur, nam postea apparebit verba ultimae periodi ad solam feminam spectare, cui tutoris optio concedatur; in muliere cui tutoris optio datur fictionis vis ac potestas est ut eo jure in hac causa sit Latina civis Romana facta, quo foret si a cive Romano orta esset, quia Latini juris non est tutoris optio; idem tamen non obtinet in Latinis qui cives Romani fiunt; huius enim fictionis vis est ut in potestate, manu, mancipio maneant Latini cives facti eius, qui ante civitatis mutationem eo jure in eos usus fuisset: nam potestas, manus, mancipium sunt instituta juris Latini. Recte quoque vir cons. ASHER iis qui servandam esse illam vocem „Romana" putant, objecit: (p. 118.6); „TITE LIVE et CICERON d'accord avec les règles de la grammaire latine appellent civitatis mutatio la *sortie* d'une civitas. Chez LIVE et CICERON la civitas mutata est celle d'où l'emigrant *sort*, non celle où il *entre*. Notre auteur ne peut pas faire de même: il veut que les anciens magistrats Salpésiens soient des civitate mutati, et ne peut cependant pas les faire *sortir* de Salpensa,

mutatus mutata non esset [1]), esto, idque jus tutoris optandi habeto, quod haberet, si a cive Romano ortus orta neque civitate mutatus mutata esset."

Diserte ex hoc Capite [2]) apparet instituta patriae potestatis [3]), manus et mancipii Salpensae viguisse, cum placitum illud omnino jubeat eos qui, civitatem Romanam consecuti sint *manere* [4]) in potestate etc. eorum qui, cum Latini etiamtum essent, juribus illis uterentur. Placitum Capitis 22 erat necessarium, quia caeteroquin ei cui status ita mutaretur ut a Latino civis Romanus fieret, jura illa salva non fuissent.

Itaque Latini Salpensani qui alieni juris sunt vel sunt in patria potestate vel in manu vel in mancipio.

---

puisqu'il est evident qu'ils y restent; (vide ad haec verba *Diss.* p. 215 not. 1). C'est ce qui le force à faire une civitatis mutatio de leur *entrée* dans la civitas Romana." Haec difficultas, uti res ipsa docet, tollitur sententia mea accepta; etenim tum illa civitate mutatur quis quam relinquit.

Caeterum utrum retineatur vox „Romana" necne, nihil quidquam interest ad sententiam qua placitum Capitis 22 accipiendum sit constituendam; qui enim retinent, ZUMPT v. g., ita explicant ut accipiat qui mutatus dicitur civitatem Romanam; neque secus qui vocem supprimunt; tum enim ad vocabulum „civitate" subintelligitur „Latina" (cf. caput 53 legis Mal.) ita ut causa agatur eius qui mutatur civitate Latina et contra Romanam consequitur.

1) Vir cons. ASHER, p. 118*a* ad verba legis „si civitate mutatus mutata non esset" hanc adnotationem adscripsit: „Pour justifier l'expression *civitate mutari* il faut nécessairement une mutation de cité; une expatriation, une transmigration car civitatis mutatio est synonime à oppidi mutatio." Magni momenti non videtur haec objectio; nam novimus ex GELLIO (*Noct. Att.* 18.7.) civitatem non tantum dici pro loco et oppido sed etiam *pro jure omnium*, unde sequitur si civitas pro jure usurpetur, civitatis mutationem juris mutationem significare: hoc vero optime quadrat in sententiam Capitis 22; mutatur enim jus eorum qui Latini sunt atque convertitur in jus civium Romanorum.

2) Quod ad patriam potestatem patet quoque ex Cap. 21 leg. Salp.

3) De dominica potestate enim res ipsa docet in Capite 22 legis Salpensanae sermonem non esse.

4) Vide Rubr. Capitis 22.

a. De iis qui in patria potestate sunt. Uti vigebat patria potestas apud Romanos ita quoque in jure Latino institutum illud deprehendimus.

Nonne tamen hoc pugnat cum jure noto, cum GAII testimonio qui perspicue docuit patriam potestatem esse „jus proprium civium Romanorum" [1])?

Videntur sane haec primo adspectu pugnare inter se, neque miror cl. LABOULAYE hanc difficultatem premere [2]); sunt tamen qui institutum illud deducere conentur ex jure quo Latini coloniarii usi fuerint, quoque ipsos Salpensanos etiam gavisos fuisse saepius jam monui. Ut appareat quo jure, quid Latinorum coloniariorum jure contineatur, paucis in mentem revocare juvat.

Habebant illi commercium cuius pars maxima erat mancipatio, quacum cohaeret testamenti factio quae dicitur passiva et activa.

Habebant connubium si concessum esset; quod si in Salpensanis obtinuerit, ipsam patriam potestatem in lege nostra explicatam esse putavit GIRAUD; ita enim loquitur [3]): „Le connubium duquel résultait la patria potestas chez les Romains a pu être accordé aux Latins de Salpensa et cette observation seule répond à tout". Minus accurate, ni fallor, disputat; nam patria potestas non sequitur ex connubio; tantum adest patria potestas ubi justae sunt nuptiae contractae; connubium autem est *unum* ex iis quae requiruntur ut nuptiae sint justae; praeterea tamen alia complura adsunt requisita v. g. pubertas,

---

[1]) Vide ICtum *Inst.* Lib. 1 § 55. et § 189 in fine et in lege 3 D. *de his qui sui aut al.* (1.6.)

[2]) Quem vide in Opere: *les Tables* p. 16 et 17.

[3]) In *Op. laud.* p. 35.

consensus utriusque, cet; [1]). Sive igitur connubium Latinis Salpensanis concessum fuerit sive non; id sufficere non videtur ad institutum patriae potestatis explicandum. Num igitur concedere oportet inter se pugnare testimonia GAII et legis Salpensanae? Minime, nam ipse GAIUS, ni fallor, indicat quomodo haec quaestio solvenda sit. Postquam enim l.l. de patria potestate dixit: „Quod jus proprium civium Romanorum est", addit: „fere enim nulli alii sunt homines [2]) qui *talem* in filios suos potestatem habent, *qualem* nos habemus". Animadvertas ICtum aliis hominibus sive populis non denegare quamcunque potestatem in liberos, verum talem tantum qualem Romani habeant. Patria potestas, opinor, in jure Romano dicenda est pertinere ad jus civile mixtum cuius fundamentum constituit commune gentium jus, cui tamen jus civile multa sive addidit sive detraxit [3]). Itaque eum verum statuere opinor, qui dicat patriam potestatem Latinorum non idem sed simile institutum fuisse [4]) ei, quo uterentur Romani.

Quo autem diversa fuerit potestas Romana a Latina ex lege Salpensana non apparet; in Capite vero 21 legis verbo admonemur *qui* jure Latino sint in potestate. Tantum enim qui legitimis nuptiis quaesiti sunt, quique simul ad familiam pertinent; docemur enim nepotes tantum qui ex *filio* nati sint in postestate esse; qui vero nascebantur ex filia, quippe quae in aliam familiam migravisset, in potestate erant avi

---

[1]) Vide ULP. *Reg.* Tit. 5. § 2. cf. PAULI *Sent. Rec.* Lib. 2. Tit. 19. § 2.

[2]) Vide exceptionem a GAIO in Galatis admissam, Lib. 1 § 55 laud. in fine.

[3]) Vide H. J. KOENEN, in *Diss. de Patria potestate* quae prodiit Lugduni Bat. 1831, imprimis p. 1—27; ostendit auctor institutum patriae potestatis quod apud Romanos deprehenditur cohaerere cum antiquo vitae genere populorum Italicorum atque inde explicandum esse.

[4]) Eiusmodi fere institutum Cordovae in urbe Hispaniae non longe a Salpensa dissita viguisse, docuit DIRCKSEN, quem vide in *Comment. laud.* p. 694.

sui. Eadem juris praecepta apud Romanos vigebant [1]), quapropter in hac causa utriusque juris instituta arcte conjuncta sunt [2]).

b. De iis quae in manu sunt. Uti jure Romano in manum tantum feminae conveniunt [3]), jure quoque Latino in manu tantum sunt uxores. Variis modis in manum convenire poterant jure Romano, sc. usu, confarreatione, coemptione [4]). De ratione qua in manum conventio apud Latinos peragebatur nihil apparet ex lege Salpensana, cum autem conventio illa per coemptionem mancipatione perficeretur [5]) nihil sane Salpensanis impedimento fuerit, quominus ita in manum convenirent [6]); nam notum est mancipationem Latinis coloniariis, quippe qui commercio uterentur, competiisse.

Quae in manum convenerat femina, jure Romano filiae locum obtinebat atque marito subjiciebatur [7]); similis procul dubio erat manus Latina; eadem tamen non erat: quod non tantum ex GAIO apparet, ubi manum jus proprium civium Romanorum esse dicit [8]), verum etiam ex lege Salpensana; hinc enim novimus non omnes effectus quos habuerit manus Romana Latinae quoque proprios fuisse.

---

1) Vide *Inst. Just.* Lib. 1. Tit. 9 pr. et § 3 et leg. 3 et 4 D. *de his qui sui aut al.* (1.6.) addatur GAIUS, *Inst.* Lib. 1 § 55 et ULP. *Reg.* Tit. 5 § 1.

2) De ipsa patria potestate Romana quam late patuerit quaeque fuerint eius effectus non opus est ut dicam; vide praeter *Dissertationem laud.* REIN in *Opere laud.* p. 468—499.

3) Vide GAIUM. *Inst.* Lib. 1. § 109.

4) Vide eund. ibid. § 110.

5) Cf. GAIUM, *Inst.* Lib. 1 § 113.

6) Jam apud Latinos ante legem Juliam feminas in manum convenisse ex GELLIO (*Noct. Att.* Lib. 4. Cap. 4) RUDORFF in *Disp. Crit.* p. 25 effecit.

7) Cf. GAIUM, *Inst.* Lib. 1. § 111. de manu Romana cf. REIN in *Op. l.* p. 373—390. et s. w. ZIMMERN in Opere: *Geschichte des Röm. Rechts bis Justinian*, Heidelberg 1826, 2, p. 827—842.

8) Vide GAIUM, *Inst.* Lib. 1 § 108.

Feminae enim quae civitatem Romanam consecuta erat hac lege tribuitur „jus tutoris optandi quod haberet si a cive Romano ortus orta [1]), neque civitate mutatus mutata esset". Ex hisce verbis sequi puto tutoris optionem non fuisse effectum manus Latinae; complures tamen interpretes qui de hac re scripserunt [2]) contrarium docuerunt. Horum autem sententia pugnare videtur cum ipsis legis verbis; si enim

---

[1]) LABOULAYE in Opere: *les Tables*, p. 19 animadvertit, in lege Salpensana etiam personis masculini generis, igitur pupillis masculinis tutoris optionem concedi. Acute GIRAUD in *Comment. laud.* p. 320. animadvertit, eodem modo dici posse personas masculini generis secundum Caput 22 in manu fuisse cum scriptum ibi inveniatur: „Is ea in — potestate manu mancipio — esto." Verba tamen legis „ortus orta" „mutatus mutata" re vera illi opinioni favere videntur. Cum autem cum sana mente pugnet (GAIUS perabsurdum esse dicit in lege 25 D. *de manum. vind.* (40.2)) aliquem cui propter aetatem omnis fere actus civilis interdicatur, sibi ipsi tutorem eligere posse, neque hoc in mente legis auctoris fuisse puto. Omnino masculinum et femininum pro feminino tantum genere posita esse videntur. Facile tamen intelligitur, unde factum sit ut in lege masculina quoque forma scripta inveniatur. Cum enim caput nostrum incipiat a vocibus „qui quae" et in longe maxima capitis parte de personis utriusque sexus sit sermo, negligentia factum est ut utraque haec forma, quamvis de feminis tantum sermo esset, hoc loco repeteretur.

Frustra, uti videtur, interpretes conati sunt formam masculinam, de qua dixi, vindicare atque retinere. HUSCHKE, v. g. (in Opere laud. *Beiträge* cet. p. 15 not. 6) ita rem aggressus est; post verba legis „idque jus tutoris optandi habeto," addit „vir uxor"; jus tutoris optandi quod viro competit facultatem esse contendit qua liceat ei „optionem tutoris uxori testamento permittere." Tale quid tamen nunquam significavit „jus tutoris optandi" sive „tutoris optio;" tantummodo enim est jus quod uxori competit ex testamento mariti.

Idem quoque, RUDORFF in *Disput. Crit.* p. 25 conatus est. Masculinam formam vitio carere putat si periodus ita accipiatur ac si scriptum esset: „idque jus tutoris optandi habeto (uxor quae in manum magistratus civis Romani convenerit) quod haberet, si (vir qui ei tutoris optionem testamento dederit) a cive Romano ortus (ipsaque a cive Romano) orta, neque (vir et uxor unquam ea) civitate (Romana) mutatus mutata esset." Fugit auctorem procul dubio subjectum *τοῦ* „habeto" et *τοῦ* „haberet" esse verba illa prima Capitis „qui quae," unde sequitur personis tam masculini quam feminini sexus jus tutoris optandi datum fuisse ideoque non licere ita locum restituere ac si soli feminae concessum fuisset.

[2]) Vide LABOULAYE in Opere: *les Tables*, p. 18. GIRAUD in *Op. l.* p. 37. DERNBURG, in *Comment. laud.* p. 87.

tutoris optio effectus fuisset Latinae manus, haec quoque clausula concepta fuisset ut reliqua Capitís pars, atque ita scriptum fuisset: „idque jus tutoris optandi habeto, quod haberet, si civitate mutata non esset". Ex legis verbis, uti nunc sunt, perspicue contrarium sequitur; lex enim tribuit Latinae civi factae tutoris optionem et addit: „quod ius haberet, si a cive Romano orta esset," unde probabiliter sequitur eam tanquam Latinam hoc iure caruisse.

Tutoris optionem tamen habet ea quae in manu est jure Romano, nam effectus est manus Romanae [1]).

Quid autem fuerit jus illud tutoris optandi jure Romano quod Latinae civitatem nactae conceditur lege Salpensana, ex GAIO discimus. Testator enim permittebat uxori testamento tutorem sibi optare; proutique tutoris optio plena aut angusta data erat, optandi facultas uxoris magis minusve libera erat [2]). Notum est quando institutum illud in jure Romano vigere coeperit; primum exemplum enim tutoris optivi tum fuit cum senatus Feceniae Hispalae, quod eius opera Bacchanalia detecta erant, jus tutoris optandi concessit [3]).

Cum vero sit tutoris optio effectus manus Romanae, quid opus est illa clausula huius Capitis, cum qui civis Romanus fieret per se jura quae ex manu descendant haberet, cumque etiam feminis quae sint in manu civis

---

1) Vide GAIUM, *Inst.* Lib. 1. § 150.

2) Vide GAIUM, *Inst.* Lib. 1. § 150—155.

3) Vide LIVIUM, Lib. 39. Cap. 19, cf. omnino PH. E. HUSCHKE in Dissertatione *de Privilegiis Feceniae Hispalae Senatusconsulto concessis.* Göttingae 1822. imprimis p. 46—56. Egregie de instituto tutoris optionis, ejusque natura et origine disputat GIRAUD, in *Comment. laud.* p. 323—327.

Romani nullo legis placito opus sit ut facultate sibi concessa fruantur?

DERNBURG perperam ita disputavit [1]: „Dasz in Folge der Latinischen manus auch nach der Aenderung des Bürgerrechts der Frau die Befugnisz zusteht einen Tutor aus dem Testament ihres Mannes zu optiren, dasz war besonders zu bestimmen." Auctor ni fallor, periodum de qua loquor necessariam duxit [2]) propter capitis deminutionem quam subit Latinus, qui ita statu mutatur ut civis fiat, quaque jure Romano testamentum quo legata est tutoris optio irritum fieret [3]). Error auctoris inde oritur quod tutoris optionem effectum Latinae manus esse putavit; nam etiamsi jure Latino irritum fieret testamentum capitis deminutione, propter hanc non amitterent tutoris optionem, quippe qua carerent; testamento enim concedi non poterat tutoris optio, quod non erat effectus manus Latinae.

Equidem, auctore MOMMSEN [4]), arbitror, necessariam sane non fuisse illam clausulam qua civibus Romanis tutoris optio concederetur [5]) quae caeteroquin iis aeque competiisset, sed facile intelligi posse, cum in lege ea exprimerentur quae Latinis civibus factis salva manerent jura, in eadem lege ea quoque exponi quae novis civibus nova tribuerentur.

De personis quae in potestate vel in manu sunt satis,

---

1) In *Comment. laud.* p. 87, 88.

2) Quamvis totidem verbis non dicat; cf. LABOULAYE in Op. *les Tables*, p. 18 not. 8.

3) Vide GAIUM, Lib. 2. § 145 *Inst. Just.* Lib. 2. Tit. 17. § 4 et 5.

4) Quem vide in Opere: *Stadtrechte*, p. 459, cf. quoque DIRCKSEN, in *Comment. laud.* p. 691.

5) Temere REIN in *Op. l.* p. 537, 538. not. 1.

ut videtur disserui; superest ut pauca adjiciam de iis quae sunt in mancipio.

c. De iis quae in mancipio sunt. Qui autem hac condicione utuntur jure Romano? Quicunque ab eo cuius in potestate vel in manu sunt in eam condicionem rediguntur. Personae liberae igitur in mancipii causa sunt eamque nanciscuntur mancipatione [1]). Licet tamen liberae fuerint, condicio eorum qui in mancipio erant ad servilem accedebat, quamobrem servorum loco saepius esse dicuntur, ita ut manumitti quoque possent aeque ac servi [2]); tenendum tamen est, in nonnullis eorum statum differre a justa servitute [3]). Iure Romano antiquo frequentius utebantur patres jure illo mancipandi, aetate GAII vero plerumque dicis causa in causa mancipii versabantur [4]).

Latini Salpensani quoque in illa causa mancipii esse poterant, neque hoc mirum est, cum mancipatione constituatur illa condicio, illaque Latini uti possent; inde GAIUM, dicentem mancipationem esse jus civium Romanorum proprium, Latinis jus mancipandi denegare voluisse non puto [5]).

Itaque haec sufficiant de iis personis quae alieni juris sunt; pauca etiam de iis dicenda sunt quae sunt sui juris, cum ad eorum quoque causam nonnulla legis Salpensanae praecepta pertineant.

Etiam qui sui juris sunt jure Romano variis modis distinguuntur; nam ex iis quaedam personae vel

---

[1]) Vide GAIUM, *Inst.* Lib. 1. § 117, 118.

[2]) Vide GAIUM, *Inst.* Lib. 1 § 123. 138. Lib. 3. § 114.

[3]) Vide v. g. GAIUM, Lib. 1. § 139.

[4]) Vide GAIUM, *Inst.* Lib. 1 § 141, cf. § 132 et 134.

[5]) Vide GAIUM, *Inst.* Lib. 1 § 119; cf. ULPIANI *Reg.* Tit. 19 § 4.

sunt in tutela vel in curatione, quaedam neutro jure tenentur [1]). De iis tantum quae in tutela sunt disputandum erit, cum de his solis lex Salpensana praecepta contineat.

Qui in tutela essent jure Romano, satis notum est; nimirum apud eos tutela antiquis saltem temporibus fuit duplex: altera aetatis, altera sexus; in illa erant impuberes sui juris utriusque sexus, in hac vero mulieres sui juris.

Tutelam impuberum ICti dicebant convenire naturali rationi [2]), quia propter aetatem nondum perfectam sponte se defendere non poterant [3]); tutela sexus vero antiquis temporibus introducta erat propter levitatem animi feminarum rerumque forensium ignorantiam [4]), sed jam tempore GAII in desuetudinem abire coeperat [5]). Mirum non est tutelam impuberum quae, teste GAIO, omnium civitatum jure contingit, Salpensae quoque obtinere; praeterea tamen ibi etiam usitata erat tutela sexus, uti ex Capite 28 legis Salp. jam nobis apparuit; confirmatur hoc ipso Capite 29 quod ad tutores dationem pertinet. Etenim verba sunt: „Cui tutor non erit incertusve erit, si is eave municeps municipii Flavii Salpensani erit et pupilli pupillae non erunt [6]) et ab IIviris qui jure dicundo praeerunt

---

[1]) Vide GAIUM, *Inst.* Lib. 1 § 142; cf. leg. 4 D. *de his qui sui aut al. jur.* (1.6).

[2]) Vide GAIUM, *Inst.* Lib. 1 § 189.

[3]) Vide leg. 1 pr. D. *de tutelis* (26.1.) cf. *Inst. Just.* Lib. 1, Tit. 13 § 1.

[4]) Vide GAIUM, *Inst.* 1 § 144; cf. ULPIANI *Reg.* Tit. 11 § 1.

[5]) Vide GAIUM, *Inst.* Lib. 1 § 190.

[6]) Negligentia legis auctoris fecit ut prorsus ridicula ei tribuere posset LABOULAYE. In Opere: *les Tables* not. 41. p. 26, exclamat: „Pupilli pupillae ve non erunt" n'a pas de sens. Un homme qui a passé l'âge d'être pupille n'a plus de tuteur et par conséquent ne peut pas en demander"; quod nemo negabit; postquam quis ad pubertatem pervenerit (cui fortasse jure Latinorum eadem aetas atque in jure Romano statuta erat) tutela aetatis, qua tantum pupilli utuntur procul dubio cessat; alia quaestio tamen est, num jure LABOULAYE con-

eius municipii postulaverit uti sibi tutorem det, et eum quem dare volet nominaverit, tum is a quo postulatum erit — causa cognita, si ei videbitur, eum qui nominatus erit tutorem dato. Sive is eave, cuius nomine ita postulatum erit, pupillus, pupillave erit — tum is a quo ita postulatum erit causa cognita — eum qui nominatus erit, quo ne ab justo tutore tutela abeat, ei tutorem dato". Perspicuum est, opinor, ad utriusque tutelae genus respicere argumentum huius Capitis; etenim ipsa legis verba indicare videntur in priore periodo ubi causa earum agitur „quae non sunt pupillae" quaeque ipsae tutorem petunt, de tutela sexus, in altera vero, ubi sermo est de eo „qui pupillus pupillave erit cuiusque nomine ita postulatum erit, de tutela aetatis cautum esse [1]).

---

tendat illud in mente legis auctoris fuisse. Variis modis illa verba defendere conatus est GIRAUD, me judice tamen frustra. Primo animadvertit (in *Op. l.* p. 156: „Nous devons supposer que ces mots s'entendent des divers cas de curatelle et surtout de celle de l'insensé etc. pour laquelle aussi l'emploi du mot tutor était usité." Conjicere videtur auctor, curam furiosorum jure quoque Latino obtinuisse (nam etiam secundum *eius* sententiam inter municipes qui tutorem postulant sunt Latini), quod mihi quoque probabile videtur, attamen certum non est. Praeterea eius opinionem rejiciendam esse puto; acute enim ARNDTS (*Kritische Ueberschau* p. 419) animadvertit, hanc conjecturam admitti non posse cum lex nostra ei qui pupillus non sit injungat ut petat tutorem. Furiosus autem curatorem petere nequit. Multo minus expedit observatio eiusdem auctoris (GIRAUD in *Op. l.* 153) vocem „pupillum" nonnunquam usurpari latiore sensu, nam quicunque tandem finis pupillari aetati definitus esse censeatur, lex Salpensana omnino loquitur de tutore petendo ab eo qui *non* est pupillus.

Equidem puto nullo modo justa probari posse verba illa legis, eandemque negligentem orationem hoc loco deprehendi arbitror quae etiam aliis locis in lege nostra invenitur; cf. de hac re DIRCKSEN in *Comment. laud.* p. 705.

[2]) DIRCKSEN, nescio quo jure, in *Comment. laud.* p. 705 de uno tantum genere tutelae hoc Capite cautum esse putat. Ita disputat: „Man sollte auf den ersten Blick zu der Voraussetzung geneigt sein dasz zu Anfang von den Vormündern für Nichtpupillen die Rede sei und erst hinterher zu den eigentlichen Unmündigen übergegangen werde.....

Indess bei näherer Prüfung überzeugt man sich dasz der in der Redaction des Cap. 29 hervorgehobene Gegensatz nicht von der Beschaffenheit der Mün-

Non assentitur vir cons. ASHER qui nulla explicatione addita ridicula fere legis auctorem dicentem facit, dixit enim [1]: „Pour maintenir l'autorité du chapitre entier, il faudrait supposer l'une de trois choses également absurdes;

Ou 1°, qu'à Salpensa les enfants choisissaient leurs tuteurs;

Ou 2°, que les hommes majeurs s'y soumettaient à la tutelle d'enfants;

Ou 3°, que des hommes se soumettaient de leur propre choix à la cura furiosorum en choisissant eux mêmes le curateur".

Ad Ium. Ne verbo quidem lex Salpensana ansam dedit tali explicationi, imo contrarium totidem verbis statuitur; etenim si pupilli tutore indigeant, eorum *nomine* postulatur tutor neque ipsi liberi petunt. Verba legis sunt: „Sive is eave cujus nomine ita postulatum erit pupillus pupillave erit", cet.

Ad IIum. Puberes in tutela esse Salpensae non potuisset contendere nisi nixus esset vitio typographico, de quo supra satis monui [2].

---

del ausgeht" cet. Prorsus contrarium mihi indicant legis verba; repeto enim, in altera periodo eam quae non sit pupilla ipsam tutorem petere, in altera tutorem postulari nomine eorum qui pupilli sint.

Vir doct. v. LIEB quoque in *Diss.* supra *laud.* p. 46 negavit ad tutelam sexus spectare verba illa Capitis 29: „quae pupillae non erunt". „Illud certum", ait, „ad tutelam mulierum ea non pertinere". Meliorem explicationem proponere conatus est; dicit enim: „Sententia igitur horum verborum longe alia esse debet et haec quidem, ut significetur municeps tutorem postulans pro *pupillo* vel *pupilla* qui *non* sunt municipes sed incolae". Prorsus tamen haec explicatio rejicienda videtur, quia pugnat 1° cum legis verbis ubi diserte agitur de *municipe sibi ipsi*, non alii tutorem postulante. 2° cum jure incolarum; in illo municipio enim ubi incolae sunt nunquam iis tutor dari potest; vide quae supra disputavi in *Dissert.* p. 100—103.

[1]) In *Comment. laud.* p. 131.

[2]) Vide *Diss.* p. 223 not. 6.

Pueros impuberes tutores dari posse in municipio Salpensano lex nostra non docet.

Ad IIIum. Nititur haec ratiocinatio conjectura quam proposuit GIRAUD, ut masculinum genus „qui pupilli non erunt" recte in lege scriptum esse doceret. Supra autem illi explicationi jam oblocutus sum [1]).

Dubiis illis itaque sublatis, salva sunt quae supra de diverso genere tutelarum disputavi.

Similiter ac Romae fuerunt diversa genera tutelarum, ita quoque jure Romano differebant inter se tutores; erant enim qui a parentibus testamento liberis qui in ipsorum potestate erant relinquerentur [2]); erant quoque tutores legitimi, quibus lex tutelam deferebat [3]); denique tutores a magistratu dari poterant [4]).

Praevalet omnino jure Romano tutela testamentaria, ita ut semper ei legitima tutela cedat [5]), quod adeo urgebatur ut quamdiu *speraretur* testamentaria tutela, legitimi tutores non succederent [6]); tutela vero a magistratu delata postremum locum occupabat quippe quae tantum in subsidium adhiberetur, si cui nullus omnino tutor esset [7]), vel si incertus esset tutor, testamentaria tutela suspensa, v. g. si tutor captus esset ab hostibus; tum enim tutela peribat; reversus autem jure postliminii omnia pristina jura, tutelam quoque, aliquis recipere

---

1) Vide *Diss.* p. 223 not. 6.

2) Vide GAIUM, *Inst.* Lib. 1 § 144—150; *Inst. Just.* Lib. 1 Tit. 13 § 3—5.

3) GAIUM, *Inst.* Lib. 1 § 155—159 et 165; cf. *Inst. Just.* Lib. 1 Tit. 15, 17 et 18.

4) Vide GAIUM, *Inst.* Lib. 1 § 185—188; *Inst. Just.* Lib. 1 Tit. 20.

5) Vide leg. 9, § 1 in fine D. *de tut. et rat. distrah.* (27.3). cf. GAIUM *Inst.* 1 § 155.

6) Vide leg. 11 pr. D. *de test. tut.* (26.2).

7) Vide GAIUM, *Inst.* Lib. 1 § 185; cf. *Inst. Just.* Lib. 1 Tit. 20 pr.

poterat; per illius absentiam ne omnino tutela careret pupillus magistratus tutorem dabat [1]).

Varia genera tutorum Salpensae quoque fuisse diserte in lege illa non dicitur, Caput 29 tantum de tutore qui a magistratu datur praecepta continet; attamen conjicio tutelam testamentariam jure Latino exstitisse quia, auctore GAIO, nulla fere civitas est in qua non liceat parentibus liberis suis impuberibus testamento tutorem dare; ut ita dicam tamen magis me movet ipsa lex Salpensana, quae cum ita caveat: „Cui tutor non erit incertusve erit, magistratus tutorem dato", indicare videtur fieri potuisse ut quis jam haberet tutorem, quam ob rem tutore a magistratu dato illi non opus esset. Aeque ex legis verbis apparet, tutelam quae deferretur a IIviro in subsidium tantum adhibitam esse, si tutor testamentarius non adesset vel si incertus esset [2]); quod confirmatur si animadvertas magistratum ita demum tutorem dare „quo ne ab justo tutore tutela abeat".

Supra jam ostendere conatus sum quomodo inter se cohaereant lex Salpensana et lex Atilia ex qua Romae tutores dabantur [3]). De eodem argumento hoc loco nonnulla quoque addenda sunt. Cum enim tutore opus esset, ex lege

---

[1]) Vide GAIUM, *Inst.* Lib. 1 § 187; *Inst. Just.* Lib. 1, Tit. 12 § 5 et Tit. 20 § 2; cf. leg. 19 D. *de capt. et postl. rev.* (49.15). Plura exempla adsunt tutelae a magistratu delatae, quamdiu etiam sperabatur testamentaria; vide GAIUM *Inst.* Lib. 1 § 186; cf. leg. 9 § 2, D. *de tut. et rat. distrah.* (27.3); ita ut accuratius GAIUS dixisset, tutorem etiam a magistratu dari, si tutor (testamentarius) incertus esset.

[2]) Fortasse in iisdem causis Latino jure incertus erat tutor atque in jure Romano; cf. REIN in *Op. l.* p. 519 not. 2.

[3]) Vide supra *Diss.* p. 101.

Atilia petendus erat; neque nisi peteretur, dabatur [1]. Aeque in lege Salpensana ut postularet aliquis pro se ipso [2] sive pro altero erat necessarium. Petitio tutoris nomine pupilli erat causa popularis jure Romano; cuivis *licebat* pupillis tutorem postulare (petitio voluntaria) [3]; nonnullis etiam v. g. libertis qui a patre pupilli manumissi erant, *necessitas* petendi tutoris incumbebat (petitio necessaria) [4]. Mirum non esset libertis paternis Salpensae, ubi jus patronatus tam sollicite ordinatum fuisse apparuit, idem officium impositum fuisse.

Cum postulatione jure Romano vulgo conjuncta erat nominatio, quod Salpensae quoque obtinuisse ex Capite 29 legis Salp. apparet. Nominatores quodammodo pro nominato obstricti erant.

Tutor non datur ex lege Salpensana, nisi causa cognita sit a magistratu. Inquiritur enim in facultates et personam eius qui tutor nominatus est [5]; neque satisdatio hoc Capite ab eo exigitur; idque mirum esse non censeo, cum exemplo fuerint praeceptis legis Salpensanae placita legis Atiliae, quae neque satisdationem requirebat, quam ob rem tempore CLAUDII tutores ex illa lege desierunt dari [6].

Ipsa datio denique tutoris a magistratu decreto fiebat;

---

1) Vide *Inst. Just.* Lib. 1 Tit. 20 § 1; cf. leg. 3, § 2 D. *de tutelis* (26.1).

2) Exemplum mulieris pro se ipsa tutorem petentis invenitur apud LIVIUM, Lib. 39, Cap. 9.

3) Vide leg. 2, pr. D. *qui petant tut.* (26.6).

4) Vide leg. 2 *laud.* § 1 eiusd. Tit. De petitione voluntaria et necessaria fuse disputat RUDORFF, in Opere: *Das Recht der Vormundschaft.* Berlin 1832. I p. 406—436.

5) Vide *Inst. Just.* Lib. 1. Tit. 20 § 3.

6) Vide RUDORFF, in *Op. l.* 1. p. 439.

causa cognita magistratus formulam pronunciabat: „Do te tutorem" [1]).

Itaque quantum per legem Salpensanam licet, de iis qui Latino jure sunt sui juris vel alieni juris satis, puto, dictum est, et haec quidem ad finem huius disputationis quae de jure privato personarum agit procul dubio contendere possumus: Instituta juris Latini quae ad jus privatum personarum pertinerent similia eorum fuisse quae in jure Romano vigerent.

CAPUT II.

DE ACTIONIBUS.

Brevis esse poterit disquisitio de hoc argumento, cum quantacunque sint genera actionum, unum tantum ex iis in lege Salpensana et Malacitana memoratur.

Tantummodo enim ibi memoratur actio popularis sive actio quam cuivis de populo instituere licebat. Tantum illam usu venisse quum jura municipii vindicanda essent, res ipsa docet.

Hoc quoque perspicue apparet ex diversis quinque causis quae ex legibus nostris ansam dant actioni populari instituendae, quas singulas MOMMSEN accurate recensuit [2]).

Actio popularis tantum competit cui licet per hanc legem eam instituere. Verisimile est eosdem prohiberi hac lege qui

---

[1]) Vide RUDORFF, in *Op. l.* 1, p. 438.
[2]) Vide auctorem *Stadtrechte*, p. 461.

jure Romano quoque prohibeantur quominus actiones illas instituant, eos sc. qui procuratores esse non possint [1]).

Quid autem actione populari petebatur hac lege? Differebat illud pro variis causis. Tum erat certa pecuniae summa, quae magistratui solvenda erat, uti in Capite 26 legis Salp. et in Cap. 58 et 61 legis Mal.; tum vero „quanti ea res erit" vel „quanti ea res erit et alterum tantum," quod habent Capita 62 et 67. legis Mal.

Licet haec formula „quanti ea res est" plures significationes apud veteres habeat [2]), perspicuum tamen videtur, quid ea hisce locis indicatur. Qui enim, legis interdicto neglecto, Malacae domum detexerit vel destruxerit, quanti municipum interesset aedificium detectum destructum non fuisse municipibus dare damnas erat.

Item, quum rationes sunt reddendae ab iis qui munus publicum gesserunt, sive pecunia in publicum referenda est, is qui quominus haec fierent prohibuerit, „quanti ea res est et alterum tantum" i. e. duplum eius quanti municipum interfuisset illum ita non fecisse, sive rationes omnino redditas esse, solvere debet.

Superest jam quaestio, cui competit summa quae actione populari petitur?

Complures interpretes voluerunt hanc summam competere ei qui actionem instituerit [3]). Mommsen contra populo hanc summam lucro esse contendit [4]).

---

[1]) Vide leg. 4 et 6, D. *de pop. act.* (47.23); addatur v. Keller, in *Op. l.* p. 396.

[2]) Vide v. Savigny, in Opere: *System* 5 p. 442.

[3]) Vide v. Savigny, in Opere: *System* 2, p. 132. Walter in *Op. l.* 2 p. 418.

[4]) Vide eum in Opere: *Stadtrechte* p. 463—465.

Me judice, recte animadvertit auctor, eum qui popularem actionem instituat procuratorem esse populi [1]), unde quod actione illa consequatur quis, mandatori i. e. populo prodesse dicendum est. Hoc quidem negare non potuit DERNBURG [2]), attamen pro contraria sententia vehementer propugnat. MOMMSEN ad suam sententiam confirmandam allegaverat legem 7 § 1. D. *de pop. act.* ubi legitur: „Qui habet has actiones non intelligitur esse locupletior", itaque verterat hunc locum: „Derjenige der eine Popularklage erhebt, gilt nicht als um ihren Betrag bereichert." DERNBURG tamen aliter explicat verba legis dictae; ita enim disputat: „Qui habet has actiones ist derjenige und nur derjenige welcher berechtigt ist sie anzustellen, und der sie noch nich angestellt hat." Re vera puto hanc legem ita intelligendam esse ut is habeat actionem popularem qui habeat jus instituendi; hunc tamen esse eum cuius intersit, negandum videtur, nam etsi fortasse praeferebatur ille, procul dubio tamen jus actionis instituendae competebat cuivis de populo qui non prohibebatur lege. Quidquid autem significant verba „qui habet has actiones", legem laudatam favere puto opinioni quam MOMMSEN tuetur, cum quicunque instituat non esse locupletior intelligatur. DERNBURG aliud quoque placitum Digestorum pro sua sententia allegavit, sc. legem 12 D. *de Verb. Sign.*, ubi qui popularem actionem instituit ante litis contestationem non creditoris loco, post eam creditoris loco esse dicitur. Sed ne hanc quidem legem ei favere puto. Nam post litis contestationem creditoris loco esse dicitur, ante eam non item,

---

[1]) Eum qui actionem popularem instituit agere tanquam mandatarium, probant leges 5 D. *de pop. act.* (47.23) et 42 D. *de procur.* (3.3), ubi traditur in popularibus actionibus procuratorem dari non posse ab eo qui actionem moveat.

[2]) Cf. eum in *Comment. l.* p. 91—94.

quia post litis contestationem demum is „qui actionem instituit," uti omnis procurator, dominus fit litis [1], quo facto agit, perinde ac si ipse dominus ageret; nihilominus actione mandati tenetur restituere quod actione consecutus est.

Sunt tamen nonnullae causae quibus quod per actiones populares acquiritur cedit ei qui actionem instituit, v. g. in actione sepulcri violati [2], quae tamen actio popularis dicitur [3].

In tali causa qui instituit actionem, ita de publico agere videtur ut et privatum commodum defendat [4], eoque fit ut per procuratorem quoque tum agi possit [5].

Itaque tam opinio eorum qui in publicum cedere summam actione populari petitam contenderunt, quam illorum qui contrarium docuerunt fontibus utraque nititur; unde verum attingere eum arbitror qui statuit duo fuisse actionum popularium genera, unum quod instituenti non prosit sed soli reipublicae, alterum vero quod lucro sit ei qui moveat, cum in his magis spectetur privati agentis commodum.

Disputatio denique mea de lege Salpensana et Malacitana ad finem perducta est.

Spero fore ut hoc saltem effecerim ut sublatum sit dubium, si quod exstiterit, de authentia harum tabularum, atque ut

---

[1]) Vide leg. 4 § 5 D. *de app. et rel.* (49.1) et leg. 11 pr. *de doli except.* (44.4).

[2]) Vide leg. 6 D. *de sepulcro violato* (47. 12); de hac actione cf. v. SAVIGNY, *System* 2, p. 124.

[3]) Vide leg. 3 § 12, D. *eiusd. Tit.*

[4]) Vide leg. 45 § 1 D. *de procur.* (3.3). addatur v. KELLER, *Civilprocess.* p. 394, 395.

[5]) Vide leg. 42 pr. et 45, *laud.* D. *de proc.* (3.3).

jus Latinorum in municipiis tam publicum quam privatum egregie hisce legibus illustrari apparuerit.

Nec me praeterit non omnia quae ad hanc causam pertineant satis explicata esse; id autem in hac disquisitione mihi curae non fuit ut multis conjecturis disputationem ornarem, verum potius ut quantum per fontes liceret materiem explicarem. Quod si quodammodo recte successerit mihi gratum erit neque plura sectabor, memor proverbii illius: „Est quadam prodire tenus si non datur ultra".

LEGIS

MUNICIPII FLAVII SALPENSANI

PARS.

. . . .

[RUBRICA. UT MAGISTRATUS CIVITATEM ROMANAM CONSEQUANTUR.] col. I.

[XXI] .... [Qui IIvir aedilis quaestor ex hac lege factus erit, cives Romani sunto, cum post annum magistratu] abierint, cum parentibus coniugibusque [a]c liberi[s], qui legitumis nuptis quae|siti in potestatem parentium fuer[i]nt, item nepotibus ac neptibus filio | nat[is natabu]s, qui quaeque in potestate parentium fuerint; dum ne plures c(ives) R(omani) | sint, qua[m] quod ex h(ac) l(ege) magistratus creare oportet. |

R(UBRICA). UT QUI CIVITAT(EM) ROMAN(AM) CONSEQUANTUR, MANEANT IN EORUNDEM M(ANCIPI)O M(ANU) | POTESTATE. |

XXII. Qui quaeque ex h(ac) l(ege) [exve] edicto

*

col. I. imp(eratoris) Caesaris Aug(usti) Vespasiani imp(eratoris)ve Titi | Caesaris Aug(usti) aut imp(eratoris) Caesaris Aug(usti) Domitiani p(atris) p(atriae) civitatem Roman(am)| consecutus consecuta erit, is ea in eius, qui c(ivis) R(omanus) h(ac) l(ege) factus erit, potestate | manu manicipio, cuius esse deberet, si [civitate] mutatus | mutata non esset, esto idque ius tutoris optandi habeto, quod | haberet, si a cive Romano ortus orta neq(ue) civitate mutatus mu | tata esset.

R(UBRICA). UT QUI C(IVITATEM) R(OMANAM) CONSEQUENTUR, IURA LIBERTORUM RETINEANT.

XXIII. Qui quaeve h(ac) l(ege) exve edicto imp(eratoris) Caes(aris) Vesp(asiani) Aug(usti) imp(eratoris)ve Titi Caes(aris) Vespasian(i) Au(gusti) | aut imp(eratoris) Caes(aris) Domitiani Aug(usti) | c(ivitatem) R(omanam) consecutus consecuta erit, is in | libertos libertasve suos suas paternos paternas, qui quae in c(ivitatem) R(omanam) non | venerit, de quebonis eorum earum et is, quae libertatis causa inposita | sunt, idem ius eademque condicio esto, quae esset, si civitate mutat[u]s mutat[a] non esset.

R(UBRICA). DE PRAEFECTO IMP(ERATORIS) CAESARIS DOMITIANI AUG(USTI). |

XXIV. Si eius municipi decuriones conscriptive municipesve imp(eratori) Caesar[i] Domitian(o) |

Aug(usto) p(atri) p(atriae) IIviratum communi nomine municipum eius municipi de|tuler[i]nt, imp(erator) [q]ue Domitian[us] Caesa[r] Aug(ustus) p(ater) p(atriae) eum IIviratum receperit | et loco suo praefectum quem esse iusserit, is praefectus eo [i]u[r]e esto, quo | esset, si eum IIvir(um) i(ure) d(icundo) ex h(ac) l(ege) solum creari oportuisset isque ex h(ac) l(ege) solus | IIvir i(ure) d(icundo) creatus esset. col. I.

R(UBRICA.) DE IURE PRAEF(ECTI) QUI A IIVIR(O) RELICTUS SIT. |

XXV. Ex IIviris qui in eo municipio i(ure) d(icundo) p(raeerit), uter postea ex eo municipio proficiscetur | neque eo die in id municip[i]um esse se rediturum arbitrabitur, quem | praefectum municipi non minorem quam annorum XXXV ex | decurionibus conscriptisque relinquere volet, facito ut is iuret per | Iovem et divom Aug(ustum) et dium Claudium et divom Ves[p](asianum) Aug(ustum) et divom | Titum Aug(ustum) et genium imp(eratoris) Caesaris Domitiani Aug(usti) deosque Penates, | quae IIvir[os] qui i(ure) d(icundo) p(raeest) h(ac) l(ege) facere oporteat, se, dum praefectus erit, d(um) [t](axat) quae eo | tempore fieri possint, facturum neque adversus ea [f]acturum scientem | d(olo) m(alo); et cum ita iuraverit, praefectum eum eius municipi relinquito. [E]i | qui ita praefectus relictus erit, do-

col. I. nec in id municipium alteruter ex IIviris | adierit, in omnibus rebus id ius e[a]que potestas esto praeterquam de praefec|to relinquendo et de c(ivitate) R(omana) consequenda, quod ius quaeque potestas h(ac) l(ege) | IIviri[s qui] iure dicundo praeerunt datur. Isque dum praefectus erit quo|tiensque municipium egressus erit, ne plus quam singulis diebus abesto. |

R(UBRICA). DE IUREIURANDO IIVIR(UM) ET AEDIL(IUM) ET Q(UAESTORUM). |

XXVI. Duovir(i) qui in eo municipio [i](ure) d(icundo) p(raesunt), item aediles [qui] in eo municipio sunt, item | quaestores qui in eo municipio sunt, eorum quisque in diebus quinq(ue) | proxumis post h(anc) l(egem) datam; quique IIvir(i) aediles quaestoresve postea ex h(ac) l(ege) | creati erunt, eorum quisque in diebus quinque proxumis ex quo IIvir | aedilis quaestor esse coeperit, priusquam decuriones
col. II. conscriptive || habeantur, iuranto pro contione per Iovem et dium Aug(ustum) et divom Claudi|um et divom Vespasianum Aug(ustum) et divom Titum Aug(ustum) et genium Domitiani | Aug(usti) deosque Penates: se, quodqu[o]mque ex h(ac) l(ege) exqu[e] re communi) m(unicipum) m(unicipi) Flavi | Salpensani censeat, recte esse facturum, ne[q]ue adversus h(anc) l(egem) remve commu|ne[m] municipum eius municipi facturum scientem d(olo) m(alo), quosque prohi|bere possit prohibiturum

col. II.

neque se aliter consilium habiturum neq(ue) aliter | daturum neque sent[e]ntiam dicturum quam [ut ex] h(ac) le(ge) exqu[e] re communi | municipum eius municipi censeat fore. Qui ita non iuraverit, is (sestertium X milia) | municipibus eius municipi d(are) d(amnas) esto eiusque pecuniae deque ea pecunia mu|nicipum eius municipi [q]ui volet cuique per hanc legem licebit, actio peti|tio persecutio esto.

R(UBRICA). DE INTERCESSIONE II(VIRUM ET AEDIL(IUM) [ET] Q(UAESTORUM). |

XXVII. Qui IIvir(i) aut aediles aut quaestores eius municipi erunt, his IIvir(is) inter | se et cum aliquis alterutrum eorum aut utrumque ab aedile aedilibus | aut quaestor[e] quaestoribus appellabit; item aedilibus inter se; [item quaestoribus inter se] inter|cedendi, in triduo proxumo quam appellatio facta erit poteritque | intercedi, quod eius adversus h(anc) l(egem) non fiat, et dum ne amplius quam semel | quisque eorum in eadem re appelletur, ius potestasque esto, neve quis | adversus ea qui[d], qu[o]m intercessum erit, facito. |

R(UBRICA). DE SERVIS APUD IIVIR(UM) MANUMITTENDIS. |

XXVIII. Si quis municeps municipi Flavi Salpensani, qui Latinus erit, aput IIvir(os), | qui

col. II. iure dicundo praeerunt eius municipi, servom suom servamve suam | ex servitute in libertate [m] manumiserit liberum liberamve esse iusserit, | dum ne quis pupillus neve quae virgo mulierve sine tutore auctore | quem quamve manumittat liberum liberamve esse iubeat: qui ita | manumissus liberve esse iussus erit, liber esto, quaeque ita manumissa | liberave [esse] iussa erit, libera esto, uti qui optum[o] iure Latini libertini li|beri sunt erunt; [d]um is qui minor XX annorum erit ita manumittat, | si causam manumittendi iusta[m] esse is numerus decurionum, per quem | decreta [facta h(ac) l(ege)] rata sunt, censuerit.

R(UBRICA). DE TUTORUM DATIONE. |

XXIX. Cui tutor non erit incertusve erit, si is e[a]ve municeps municipi Flavi Salpensani | erit; et pupilli pupillaeve non erunt; et ab IIviris, qui i(ure) d(icundo) p(raeerunt) eius municipi, postu|laverit, uti sibi tutorem det; [et] eum, quem dare volet, nominaverit: [t]um is, | a quo postulatum erit, sive unum sive plures collegas habebit, de omnium colle|garum sententia, qui tum in eo municipio intrave fines municipi eius erit, | causa cognita, si ei videbitur, eum qui nominatus erit tutorem dato. Sive | is eave, cuius nomine ita postulatum erit, pupil(lus) pupillave erit, sive is, a quo | postulatum erit, non habebit collegam [collegav]e eius in eo municipio

col. II. intrave | fines eius municipi nemo erit: [t]um is, a quo ita postulatum erit, causa co|gnita, in diebus X proxumis, ex decreto decurionum, quod cum duae partes | decurionum non minus adfuerint factum erit, eum, qui nominatus | erit, quo ne ab iusto tutore tutela [a]beat, ei tutorem dato. Qui tutor h(ac) l(ege) | datus erit, is ei, cui datus erit, quo ne ab iusto tutore tutela [a]beat, tam iustus | tutor esto, qnam si is c(ivis) R(omanus) et adgnatus proxumus c(ivis) R(omanus) tutor esset.

. . . .

LEGIS

MUNICIPII FLAVII MALACITANI

PARS.

. . . .

col. I [RUBRICA. DE NOMINATIONE CANDIDATORUM.]

[LI]. [Si ad quem diem professio] fieri oportebit, nullius nomine aut | pauciorum, quam tot quod creari opor|tebit, professio facta erit; sive ex his, | quorum nomine professio facta erit, | pauciores erunt, quorum h(ac) l(ege) comitiis ra|tionem habere oporteat, quam tot [quot] cre|ari oportebit: tum is qui comitia ha|bere debebit proscribito ita u(t) d(e) p(lano) r(ecte) l(egi) p(ossint) | tot nomina eorum, quibus per h(anc) l(egem) | eum honorem petere licebit, quod de|runt ad eum numerum, ad quem crea|ri ex h(ac) l(ege) oportebit. Qui ita proscripti | erunt, ii, si volent, aput eum, qui ea co|mitia habiturus erit, singuli singu|los eiiusdem condicion[i]s nominato |

ique item, qui tum ab is nominati erunt. si | col. I.
volent, singuli singulos aput eun|dem e[a]demque condicione nomina|to; isque, aput quem ea nominatio fac|ta erit, eorum omnium nomina pro|ponito ita [ut] d(e) p(lano) r(ecte) l(egi) p(ossint), deque is om|nibus item comitia habeto, perinde | ac si eorum quoque nomine ex h(ac) l(ege) de | petendo honore professio facta esset | intra praestitutum diem petereque | eum honorem sua sponte c[o]epissent ne|que eo proposito destitissent. |

R(UBRICA). DE COMITIIS HABENDIS. |

LII. Ex IIviris, qui nunc sunt, item ex is, qui | deinceps in eo municipio IIviri erunt, | uter maior natu erit, aut, si ei causa qu|ae inciderit q(uo) m(inus) comitia habere pos sit, tum alter ex his, comitia IIvir(is), item | aedilibus, item quaestoribus rogandis | subrogandis h(ac) l(ege) habeto, utique ea dis|tributione curiarum, de qua supra con|prehensum est, suffragia ferri debe|bunt, ita per tabellam ferantur facito. | Quique ita creati erunt, in annum unum | aut, si in alterius locum creati erunt, | reliqua parte eiius anni in eo honore | sunto, quem suffragis erunt consecuti. |

R(UBRICA). IN QUA CURIA INCOLAE SUFFRAGIA | FERANT. |

LIII. Quicumque in eo municipio comitia IIviris | , item aedilibus, item quaestoribus rogan|dis

col. I. habebit, ex curiis sorte ducito unam, | in qua incolae, qui cives R(omani) Latinive cives | erunt, suffragi[um] ferant, eisque in ea cu|ria suffragi latio esto. |

R(ubrica). Quorum comitis rationem habe|ri oporteat. |

LIIII. Qui comitia habere debebit, is primum IIvir(os) | qui iure dicundo praesit ex eo genere in|genuorum hominum, de quo h(ac) l(ege) cau|tum conprehensumque est, deinde proxi|mo quoque tempore aediles, item quaesto|res ex eo genere ingenuorum hominum, | de quo h(ac) l(ege) cautum conprehensumque est, | creando[s] curato; dum ne cuiius comitis rationem habeat, qui IIviratum pet|[et], qui minor annorum XXV erit qui|ve intra quinquennium in eo honore | fuerint; item qui aedilitatem quaesturam|ve petet, qui minor quam annor(um) XXV erit | quive in earum qua col. II. causa erit, propter || quam, si c(ivis) R(omanus) esset, in numero decurio|num conscriptorumve eum esse non lice|ret.

R(ubrica). De suffragio ferendo. |

LV. Qui comitia ex h(ac) l(ege habebit, is municipes cu|riatim ad suffragium ferendum voca|to ita, ut uno vocatu omnes curias in | suffragium vocet, eaeque singulae in | singulis consaeptis suffragium per ta|bellam ferant. Intemque curato,

ut ad cis|tam cuiiusque curiae ex municipibus | col. II. eiius municipi terni sint, qui eiius cu|riae non sint, qui suffragia custodiant | diribeant, et uti ante quam id faciant qu|isque eorum iurent, se rationem suffra|giorum fide bona habiturum relaturum|que. Neve prohibito q(uo) m(inus) et qui hono|rem petent singulos custodes ad singulos custodes ad singu|las cistas ponant. Iique custodes ab eo | qui comitia habebit, item ab his positi | qui honorem petent, in ea curia quis|que eorum suffragi[um] ferto, ad cuiius cu|riae custos positus erit, eorum|que suffragia perinde iusta rataque sun|to ac si in sua quisque curia suffragium | tulisset.

R(UBRICA.) QUID DE HIS FIERI OPORTEAT, QUI | SUFFRAGIORUM NUMERO PARES ERUNT. |

LVI. Is qui ea comitia habebit, uti quisque curiae | cuiius plura quam alii suffragia habue|rit, ita priorem ceteris eum pro ea curia | factum creatumque esse renuntiato|, donec is numerus, ad quem creari opor|tebit, expletus sit. Qu[a] in curia totidem | suffragia duo pluresve habuerint, ma|ritum quive maritorum numero erit | caelibi liberos non habenti, qui mari|torum numero non erit; habentem libe|ros non habenti; plures liberos haben|tem pauciores habenti praeferto prioremque nuntiato ita, ut bini liberi post no|men inpositum aut singuli puberes amis|si v[i]rivepotentes amis-

col. II. sae pro singulis | sospitibus numerentur. Si duo pluresve to|tidem suffragia habebunt et eiiusdem | condicionis erunt, nomina eorum in | sortem coicito, et uti cuiiusque nomen sor|ti ductum erit, ita eum priorem alis renunti|at[o].

R(UBRICA). DE SORTITIONE CURIARUM ET IS, QUI CU|RIARUM NUMERO PAR[E]S ERUNT. |

LVII. Qui comitia h(ac) l(ege) habebit, is relatis omnium | curiarum tabulis nomina curiarum in sor|tem coicito singularumque curiarum no|mina sorte ducito et ut cuiiusque curiae | nomen sorte exierit, quos ea curia fecerit, | pronuntiari iubeto; et uti quisque prior | maiorem partem numeri curiarum con|fecerit, eum, cum h(ac) l(ege) iuraverit caverit|que de pecunia communi, factum crea|tumque renuntiato, donec tot magistra|tus sint quod h(ac) l(ege) creari oportebit. Si toti|dem curias duo pluresve habebunt, | uti supra conprehensum est de is qui | suffragiorum numero pares essent, ita | de is qui totidem curias habebunt fa|cito. eademque ratione priorem quemque creatum esse renuntiato. |

R(UBRICA). N[E] QUIT FIAT, QUO MINUS COMITIA HA|BEANTUR. |

LVIII. Ne quis intercedito neve quit aliut fa|cito, quo minus in eo mun[i]cipio h(ac) l(ege) | comitia habeantur perficiantur. | Qui aliter adversus

ea fecerit sciens || d(olo) m(alo), is in res singulas (sestertium X milia) mu|nicipibus municipii Flavi Malacitani | d(are) d(amnas) e(sto) eiiusque pecuniae deque ea peeun(ia) | municipi eius municipii, qui volet cuique | per h(anc) l(egem) licebit, actio petitio persecutio esto. | col. II.

R(UBRICA). DE IURE IURANDO EORUM, QUI MAIOREM | PARTEM NUMERI CURIARUM EXPLEVERIT. |

LIX. Qui ea comitia habebit, uti quisque eorum, | qui IIviratum aedilitatem quaesturam|ve petet, maiorem partem numeri curia||rum expleverit, priusquam eum factum | creatumque renuntiet, iusiurandum adi|gito in contionem palam per Iovem et di|vom Augustum et divom Claudium et divom | Vespasianum Aug(ustum) et divom Titum Aug(ustum) | et genium imp(eratoris) Caesaris D(omitia)ni | Aug(usti) | deosque Penates, [e]um qu[a]e ex h(ac) l(ege) facere | oportebit facturum neque adversus | h(anc) l(egem) fecisse aut facturum esse scientem | d(olo) m(alo).

R(UBRICA). UT DE PECUNIA COMMUNI MUNICI|PUM CAVEATUR AB IS, QUI IIVIRATUM | QUAESTURAMVE PETET. |

LX. Qui in eo municipio IIviratum quaesturamve petent quique propter a, quod paucio[r]um | nomine quam oportet professio facta | esset, nominatim in eam condicionem | rediguntur, ut de

col. III. his quoque suffragi|um ex h(ac) l(ege) ferri oporteat, quisque eorum, | quo die comitia habebuntur, ante quam | suffragium feratur, arbitratu eius qui ea | comitia habebit, praedes in commune mu|nicipum dato pecuniam communem eo|rum, quam in honore suo tractaverit, | salvam is fore. Si d(e) e(a) r(e) is praedibus minus | cautum esse videbitur, praedia subsignato | arbitratu eiiusdem. Isque ab iis praedes prae|diaque sine d(olo) m(alo) accipito, quoad recte cau|tum sit, uti quod recte factum esse volet. | Per quem eorum, de quibus IIvirorum quaes|torumve comitiis suffragium ferri opor|tebit, steterit, q(uo) m(inus) recte caveatur, eius qu[i] co|mitia habebit rationem ne habeto. |

R(UBRICA). DE PATRONO COOPTANDO.

LXI. Ne quis patronum publice municipibus muni|cipii Flavi Malacitani cooptato patrocini|umve cui deferto, nisi ex maioris partis decurionum decreto, quod decretum factum | erit, cum duae partes non minus adfue|rint et iurati per tabellam sententiam tu|lerint. Qui aliter adversus ea patronum | publice municipibus municipii Flavi Malacitani cooptaverit patrociniumve cui | detulerit, is (sestertium X milia) n(ummum) in publicum munici|pibus municipii Flavii Malacitani d(are) d(amnas) e(sto. [I]s | qui adversus h(anc) l(egem) patronus cooptatus cui|[ve] patrocinium delatum

erit, ne magis | ob eam rem patronus municip[u]m col. III. muni|cipii Flavi Malaci[tani] esto. |

R(UBRICA). NE QUIS AEDIFICIA, QUAE RESTITUTU|RUS NON ERIT, DESTRUAT. |

LXII. Ne quis in oppido municipii Flavi Malacita|ni quaeque ei oppido continentia aedificia | erunt, aedificium detegito destruito demo|liundumve curato nisi decurionum con|scriptorumve sententia, cum maior pars | eorum adfuerit, quod restitu[tu]rus intra proxi|mum annum non erit. Qui adversus ea fece|rit, is quanti e(a) r(es) e(rit), t(antam) p(ecuniam) municipibus municipi | Flavi Malacitani d(are) d(amnas) e(sto), eiusque pecuniae | deque ea pecunia municipi eius municipii, qui volet cuique per h(anc) l(egem) licebit, actio col. IV. petitio || persecutio esto. |

R(UBRICA). DE LOCATIONIBUS LEGIBUSQUE LOCATIO|NUM PROPONENDIS ET IN TABULAS MU|NICIPI REFERENDIS. |

LXIII. Qui IIvir i(ure) d(icundo) p(raeerit), vectigalia ultroque tributa | sive quid aliut communi nomine munici|pum eiius municipi locari oportebit, lo|cato. Quasque locationes fecerit quasque | leges dixerit, quanti quit locatum sit et [qui] prae|des accepti sint quaeque praedia subdita | subsignata obligatave sint quique prae|diorum cognitores accepti sint, in tabu|las communes

col. IV. municipum eius municipi | referantur facito et proposita habeto per | omne reliquom tempus honoris sui, ita ut | d(e) p(lano) r(ecte) l(egi) p(ossint), quo loco decuriones conscripti|ve proponenda esse censuerint. |

R(UBRICA). DE OBLIGATIONE PRAEDUM PRAEDIORUM | COGNITORUMQUE. |

LXIV. Quicumque in municipio Flavio Malacitano | in commune municipum eius municipi | praedes facti sunt erunt, quaeque praedia | accepta sunt erunt, quique eorum prae|diorum cognitores facti sunt erunt: ii om|nes et quae cuiiusque eorum tum [fuerunt] erunt, cum | praees cognitorve factus est erit, quaeque pos|tea esse, cum ii obligati esse coeper[u]nt, c[o]epe|rint, qui eorum soluti liberatique non sunt | non erunt aut non sine d(olo) m(alo) sunt erunt, ea|que omnia, [quae] eorum soluta liberata|que non sunt non erunt aut non sine | d(olo) m(alo) sunt erunt, in commune municipum | eiius municipii item obligati obligat[a]|que sunto, uti ii e[a]ve p(opulo) R(omano) obligati obli|gatave essent, si aput eos, qui Romae aera|rio praessent ii praedes i[i]que cognito|res facti eaque praedia subdita subsigna|ta obligatave essent. Eosque praedes eaque praedia eosque cognitores, si quit eorum, in | quae cognitores facti erunt, ita non erit, — qui quaeve soluti liberati soluta libera|taque non sunt non

erunt aut non sine | d(olo) m(alo) sunt erunt, col. IV. IIviris, qui ibi i(ure) d(icundo) prae|runt, ambobus alter[i]ve eorum ex de|curionum conscriptorumque decreto, qu|od decretum cum eorum partes tertiae | non minus quam duae adessent factum | erit, vendere legemque his vendundis dicere | ius potestasque esto; dum ea[m] legem is re|bus vendundis dicant, quam legem eos, | qui Romae aerario praeerunt, e lege prae|diatoria praedibus praedisque vendun|dis dicere oporteret, aut, si lege praedia|toria emptorem non inveniet, quam le|gem in vacuom vendendis dicere opor|teret; et dum ita legem dicant, utpecu|nia INFORE municipi Flavi Malacitani | referatur luatur solvatur. Quaeque lex | ita dicta [e]rit, iusta rataque esto. |

R(UBRICA). UT IUS DICATUR E LEGE DICTA PRAEDIBUS | ET PRAEDIS VENDUNDIS. |

LXV. Quos praedes quaeque praedia quosque cog|nitores IIviri municipii Flavi Malaci|tani h(ac) l(ege) vendiderint, de iis quicumque | i(ure) d(icundo) p(raeerit), ad quem de ea re in ius aditum erit | ita ius dicito iudiciaque dato, ut ei, qui | eos praedes cognitores ea praedia mer|cati erunt, praedes socii heredesque eorum | [i]que, ad quos ea res pertinebit, de is rebus | agere easque res petere persequi rec|te possit.

R(ubrica). De multa quae dicta erit. |

col. V. LXVI. Multas in eo municipio ab IIviris prae||fectove dictas, item ab aedilibus, quas ae|diles dixisse se aput IIviros ambo alter|ve ex is professi erunt, IIvir qui i(ure) d(icundo) p(raeerit) in | tabulas communes municipum eiius mu|nicipi referri iubeto. Si cui ea multa dicta | erit aut nomine eiius alius postulabit, ut | de ea ad decuriones conscriptosve refe|ratur, de ea decurionum conscriptorum|ve iudicium esto. Quaeque multae non | erunt iniustae a decurionibus con|scriptisve iudicatae, eas multas IIviri|in publicum municipum eiius muni|cipii redigunto. |

R(ubrica). De pecunia communi municipum | deque rationibus eorundem. |

LXVII. Ad quem pecunia communis municipum | eiius municipi pervenerit heresve ei|ius isve ad quem ea res pertinebit, in die|bus XXX proximis, quibus ea pecunia | ad eum pervenerit, in publicum muni|cipum eiius municipi eam referto. Qui|que rationes communes negotiumve qu|od commun[e] municipum eius munici|pi [g]esserit tractaverit, is heresve eiius | [isve] ad quem ea res pertinebit in diebus XXX | proximis, quibus ea negotia easve ratio|nes gerere tractare desierit, quibusque | decuriones conscriptique habebuntur, | rationes edito redditoque decurioni|[b]us conscriptisve cuive de his accipi|endis cognoscendis ex

decreto decurio|num conscriptorumve, quod decretum | factum erit, cum eorum partes non mi|nus quam duae tertiae adessent, nego|tium datum erit. Per quem steterit, q(uo) | m(inus) ita pecunia redigeretur referre|tur quove minus ita rationes redde|rentur, is, per quem steterit q(uo) m(inus) rationes | redderentur quove minus pecunia redige|retur referre[tur] heresque eius isque ad qu|em ea res qua de agitur pertinebit, q(uanti) e(a) r(es) | erit, tantum et alterum tantum munici|pibus eiius municipi d(are) d(amnas) e(sto). Eiiusque pecuni|ae deque ea pecunia municipum muni|cipii Flavi Malacitani qui volet | cuique per h(anc) l(egem) licebit actio pe|titio persecutio esto. | col. V.

R(UBRICA). DE CONSTITUENDIS PATRONIS CAUSAE, CUM | RATIONES REDDENTUR.

LXVIII. Cum ita rationes reddentur, IIvir, qui decurio|nes conscriptosve habebit, ad decuriones | conscriptosve referto, quos placeat publi|cam causam agere, iique decuriones con|scriptive per tabellam iurati d(e) e(a) r(e) decer|nunto, tum cum eorum partes non minus | quam duae tertiae aderunt, ita ut tres, qu|os plurimi per tabellam legerint, causam | publicam agant, iique qui ita lecti erunt tem|pus a decurionibus conscripti[s]ve, quo cau|sam cognoscant actionemque suam or|dinent, postulanto eoque tempore quod is | datum

col. V. erit transacto eam causam uti quod | recte factum esse volet agunto. |

R(ubrica). De iudicio pecuniae communis. | LXIX. Quod m(unicipum) m(unicipii) Flavi Malacitani nonmine pe|tetur ab eo, qui eius municipi munic[e|p]s incolave erit, quodve cum eo agetur | quod pluris (sestertios mille) sit neque tanti sit ut || [de ea re proconsulem ius dicere iudiciaque dare ex hac lege oporteat, de ea re IIvir praefectusve, qui iure dicundo praeerit eius municipii, ad quem de ea re in ius aditum erit, ius dicito iudiciaque dato. . . . .

II

E PER IOVEM· ET DIVM AVG ET DIVOM CLAVDI
ET DIVOM· TITVM AVG ET GENIVM DOMITIANI.
VEMQVE EX H L EX QVOD RE COMMVNI· M M FLAVI
FACTVRVM NECVE ADVERSVS H L REMVE COMMV
ACTVRVM· SCIENTEM· D M· QVOSQVE PROHI·
SE ALITER· CONSILIVM· HABITVRVM NEQ· ALITER
VRVM· QVAMVE· H L· EX QVA RE COMMVNI
T· FORE QVI ITA NON IVRAVERIT· IS HS $\overline{X}$
· ESTO· EIVSQVE PECVNIAE· DEQVE EA PECVNIA· MV
T· CVIQVE PER· HANC LEGEM· LICEBIT ACTIO PETI
INTERCESSIONE $\overline{II}$VIR ET AEDIL Q·
ES EIVS MVNICIPI ERVNT HIS $\overline{II}$VIR INTER
M EORVM· AVT· VTRVMQVE AB AEDILE AEDILIBVS
PPELLABIT ITEM· AEDILIBVS INTER SE· INTER
M· APPELLATIO FACTA ERIT· POTERITQVE
H L· NON FIAT· ET DVM NE AMPLIVS QVAM SEMEL
PPELLETVR· IVS POTESTASQVE ESTO NEVE QVIS
SSVM ERIT· FACITO
IVIR· MANVMITTENDIS·
PENSANI· QVI LATINVS ERIT APVT IIVIR
EIVS MVNICIPI SERVOM· SVOM SERVAMVE SVAM

ACIT

III

IN· RES· SINGVLAS· H-S
IPII· FLAVI MALACITAN
VE· PECVNIAE DEQVE EA
VNICIPII QVI· VOLET·
IT ACTIO PETITIO· PERS
ANDO· EORVM QVI· MAI
RI CVRIARVM· EXPLEVE
BEBIT VTI· QVISQVE EO
DILITATEM QVAESTVRAM
H· L· PATRONVS COOPT
M DELATVM ERIT NE M
TRONVS· MVNICIPIVM M
LACITANI· TANII ESTO
AEDIFICIA QVAE RESTI
T· DESTRVAT
MVNICIPI· FLAVI MAL
OPPIDO CONTINENTIA A
IVM· DETEGITO DESTRV
ATO· NISI· DECVRIONVM
SENTENTIA CVM MAIO
RIT· QVOD RESTITVRVS
ON ERIT· QVI· ADVERSV
R· E T· P· MVNICIPIBV
TANI· D· D· E· EIVSQVE
NIA· MVNICIPI· EIVS· M
VE PER H· L· LICEBIT· A

V

ITEM AB AEDILIBVS QVAS AE
APVT IIVIROS· AMBO ALTER
ESSI· ERVNT IIVIR· QVI· I· D P· IN
ES· MVNICIPVM EIIVS MV
VBETO· SI CVI· EA MVLTA DICTA
E· EIIVS ALIVS POSTVLABIT VT
IONES CONSCRIPTOSVE REFE
ECVRIONVM CONSCRIPTORVM
QVAEQVE MVLTAE NON·
TABELLAM IVRATI D E R DECER
EORVM PARTES NON MINVS
IAE ADERVNT ITA VT TRES QV
TABELLAM· LEGERINT CAVSAM
IIQVE QVI· ITA LECTI ERVNT TEM
IBVS CONSCRIPTIVE QVO CAV
ACTIONEMQVE SVAM OR
NTO EOQVE TEMPORE QVOD IS
NSACTO EAM CAVSAM VTI QVOD
SSE VOLET AGVNTO
PECVNIAE COMMVNIS
MALACITANI· NOMINE PE
VI EIVS MVNICIPI MVNICI
IT QVODVE CVM EO AGETVR
ꝏ SIT NEQVE TANTI SIT VT

ERRATA.

In Diss. p. 20 init., legitur: „municipes cuiusque civitatis"
legatur: „cives cuiusque municipii."

——— p. 22 init. legitur: „esset" *legatur:* est."

——— ibid. med. legitur: „admininistrandae"
legatur: „administrandae."

——— p. 39 med. legitur: „forte" *legatur:* „fortasse."

——— p. 64 init. legitur: „interdictio" *legatur:* „interdicto."

——— ibid. not. 3 legitur: „Die Städtische Senat"
legatur: „Der Städtische Senat."

——— p. 73 init. legitur: „Senatui" *legatur:* „Senatu."

——— p. 96 in fine legitur: „verborum conceptiones"
legatur: „formulae."

——— p. 101 not. 2 legitur: „pauatimque" *legatur:* „paulatimque."

——— p. 132 not. 2 legitur: „Aciliam" *legatur:* „Aciliae."

——— p. 137 not. 5 legitur: „SAGIGNY" *legatur:* „SAVIGNY."

——— p. 144 in fine legitur: „questoribus" *legatur:* quaestores."

——— p. 201 not 1 in fine legitur: „manimittit"
legatur: „manumittit."

